

www.e-rara.ch

**Episcopatus Wirceburgensis Sub Metropoli Moguntina Chronologica et
diplomatice illustratus**

Ussermann, Aemilian

Sankt Blasien, 1794

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Re 225

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-53867>

I. S. Burchardus. [- XX. S. Adalbero.]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.


e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



PARS I.
ANNALES EPISCOPORUM
WIRZEBURGENSIUM.
SECVLVM VIII.

I.
S. BURCHARDVS

Ab anno 741. usque 752.

I. **D**uplicem vitæ Burchardianæ descriptionem exhibet Mabillonius, a) neutram tamen a cœvis scriptoribus exaratam; unam scilicet breviorē anonymi sæc. X. quæ legitur etiam in Canisii lectionibus antiquis: b) alteram ab Egilwardo S. BURCHARDI Herbipoli monacho sæc. XII. aut sequente tribus libris comprehensam, quorum tamen primum omittendum censuit Mabillonius, quod in eo non nisi anonymi interpolatorem egerit scriptor. Porro ex utraque ac aliis quoque monumentis, et actis S. Bonifacii insigniorum eius gestorū seriem damus.

II. BURCHARDVS ex nobili Anglorum genere ortus, relicta patria sub peregrinationis obtenta in quamdam Galliæ partem transfretasse dicitur, donec incensus

a) Sæc. III. Bened. P. I. p. 698.

b) Edit. Basnag. T. III. P. I. p. 1.

desiderio videndi S. Bonifacium, qui Moguntinorum tunc praeerat urbi, ad illum se conferret. Verum fallit haec narratio; Gewiliebibus enim primum a. 745. a Moguntina fede depositus est, eique Bonifacius admotus, quo diu iam episcopus erat BURCHARDUS. Hunc Othlonus a) cum pluribus aliis circa an. 726. ex Anglia fuisse accersitum a S. Bonifacio in Thuringia, cuius tunc pars erat Franconia, praedicante testatur, ut copiosam credentium multitudinem instrueret. Omnes tamen ibi enumeratos successive potius quam uno eodemque tempore in Germaniam fuisse evocatos magis crediderim. Extat inter Bonifacianas epistola 5. novae edit. 35. ad Kanebadam abbatissam Anglicanam, in qua Denevaldus, Lullus et BURCHARDUS, litteris dumtaxat initialibus notati b), eidem perscribunt, quod post genitoris et genitricis et aliorum propinquorum suorum obitum ad Germanicas terras transiverint, et quod in venerandi archiepiscopi Bonifacii monasticae conversationis regula suscepti, ipsiusque laboris adiutores sint. Haec autem litterae omnino post annum 732. datae sint oportet, quo primum a papa Gregorio III. pallium et titulum Archiepiscopi obtinuit Bonifacius c), cuius iam antea cooperatores erant BURCHARDUS.

III. In citata porro epistola idem pontifex praecipit Bonifacio, ut iuxta SS. canonum statuta, ubi multitudo excrevit fidelium, ex vigore Apostolicae sedis debeat ordinare episcopos. Iniunctum sibi mandatum Apostolicum strenue implevit Bonifacius, in Baioaria primum, ac deinde in Thuringia et Franconia quoque, BURCHARDO in castro Wirzeburg constituto episcopo, prout supra in prolegomenis N. XXXIV. demonstravimus. Verum de anno, quo haec facta sint, controvertunt scriptores; Lambertus enim, Hermannus et Sigebertus a. 746, Marianus a. 750, et Egilwardus a. 751. id contigisse scribunt, ut caeteros chronographos et annalistas haud memoremus. Sed contra hos omnes genuinum facti huius annum 741. evincit vita S. Willibaldi Eichstettensis episcopi scripta a moniali Heidenheimensi coeva d), ubi Willibaldus a S. Bonifacio presbyter ordinatus dicitur a. 740. ad d. 22. Jul. quem post unius anni circulum in Thuringiam evocatum S. Bonifacius archiepiscopus atque S. BURCHARDUS et Wizo seu Wittanus Buraburgensis sacrae episcopatus auctoritati illum ordinando consecraverunt... tribus hebdomadibus ante natale S. Martini (adeoque d. 22. Oct. quae tunc erat Dominica) in loco, qui dicitur Salburg, seu Salzburg ad Salam. Credibile haud est, Bonifacium neglexisse mandatum a Gregorio III. iam a. 732. e) sibi datum, ut quoties episcopum consecraverit, id in praesentia duorum vel trium episcoporum faciat: episcopi igitur

a) Vita S. Bonif. L. I. c. 25.

b) Mabill. Annal. T. II. p. 72.

c) Epist. 122. nov. edit. 25.

d) Mabill. Sec. III. Bened. P. II. p. 381.

e) Epist. citat.

iam tum erant BURCHARDUS et Wittanus ordinationi S. Willibaldi a. 741. mense Octobri adhibiti, sive hoc anno sive præcedente consecrati, annum enim præcisum ordinationis BURCHARDI nec ipse prodit Bonifacius. Congruit huic supputationi concilium Germanicum sub Carolomanno duce an. 742. XI. Kal. Maii celebratum *a*), cui inter alios episcopos BURCHARDUS quoque, Wittanus et Willibaldus adfuere *b*). Evincit id etiam Zachariæ papæ epistola *c*) ad Bonifacium, qua erectionem episcopatus in castello Wirzeburg confirmat a. 742. aut sequente. Ex his vero omnibus constat, initia pontificatus S. BURCHARDI saltem ad annum 741. esse referenda.

IV. Quam mox discussimus scriptorum discrepantiam in tempore, quo BURCHARDUS constitutus sit episcopus, in eo quoque deprehendimus, a quonam fuerit consecratus. Id a S. Bonifacio fuisse factum Willibaldus cœvus in eius vita, Hermannus Contractus et Sigebertus in chronicis suis recte asserunt. Uterque vitæ Burchardianæ scriptor illud Zachariæ papæ adscribit, comitante illum Romam ipso Bonifacio, verum talibus adiunctis circumstantiis, quæ fabulam magis quam veri speciem sapiunt, ac reliquis etiam actis Bonifacianis adversantur. Hic enim præsul toto Zachariæ pontificatu ab exeunte anno 741. usque 752. numquam Romæ fuisse memoratur, ac insuper, ut vidimus, BURCHARDUS ante Zachariæ tempora fuit episcopus, utique non ab alio quam a Bonifacio ordinatus, quod manifeste prodit Willibaldus.

V. Etsi vero Bonifacius Zachariam papam numquam adierit, id tamen de BURCHARDO nostro dici nequit. Hunc enim circa a. 747. illuc a Bonifacio missum fuisse constat ex Zachariæ papæ ad Bonifacium responso *d*): *Nostris obtutibus presentatus presens BURCHARDT dilectus nobis episcopus fraternæ sanctitatis tuæ attulit affatus*, dat. Kal. Maii a. 748: unde pariter colligitur, illum nonnisi eo fine a Bonifacio esse ablegatum, ut papam de statu religionis in Francia redderet certiolem, simulque eiusdem decisiones ad varia Bonifacii quæsitâ reportaret. Somniant igitur, qui BURCHARDUM hac occasione episcopum fuisse ordinatum volunt, qualis saltem iam ante sexennium ex indubitatis iam memoratis testimoniis fuit. Alteram adhuc legationem ad eundem papam BURCHARDO cum Fulrado S. Dionysii abbate affingunt Franciæ historicæ scriptores in causa Pipini ducis ad regnum elevandi.

a) Concil. Germ. T. I. p. 48.

b) Vid. Eccard. Franc. Or. T. I. p. 389. et 403; it. Würdtwein ad epist. Bonifac. p. 102. seqq.

c) §2. nov. edit. *d*) Epist. 140. nov. edit. 82.

In figenda tamen eius epœcha haud conveniunt; alii enim ad annum 749. referunt, forte quod Pipinum iam a. 750. regem factum arbitrarentur. Alii cum Egilwardo annum 751. statuunt, quibus et Mauriani sodales accedunt a). BURCHARDUM Romæ initio anni 748. vidimus, longe tamen aliis de causis; nec eum ibi usque ad annum sequentem hæsisse verosimile est, nec etiam in litteris Bonifacianis alterius legationis ulla fit mentio. Quin immo eodem anno 751. legatum suum Romam misit Bonifacius, non quidem BURCHARDUM episcopum, sed Lullum presbyterum, qui, ut scribit ipse b) ad Zachariam, *habet secreta quædam mea, quæ soli pietati vestræ profiteri debet, quædam vivo voce vobis dicere, quædam per litteras notata ostendere, de quibusdam vero necessitatibus meis inquirere et interrogare.* Ista quidem secreta Lullo tradita negotium Pipini tangere potuerunt, de illo tamen nihil memorat in litteris Bonifacii aut in Zachariæ responso c) dat. pridie Non. Nov. a. 751. Quodsi in causa Pipini Romæ iam fuisset BURCHARDUS, illi secreta sua committere potuisset Bonifacius, quin alterum illuc legatum destinare opus habuisset. Lullum vero ideo fuisse missum existimo, quod BURCHARDUS labore et senio fractus tanto itineri par amplius haud esset, unde etiam paullo post munere se abdicavit. Sublestæ igitur fidei est tota illa de BURCHARDI legatione Romana narratio, ex mente Cointii d) et Eccardi e) ab Eginhardo in gratiam Caroli M. conficta, ut invidia depositi Childerici regis a) substituta ei Pipini familia removeretur, et specioso pontificiæ auctoritatis, quam tamen in eiusmodi causis numquam agnovere Galli, pallio cohonestaretur.

VI. Subiungit vitæ scriptor, Bonifacium cum BURCHARDO Romæ præsentem coram Zacharia papa *prædiorum episcopii sui partem Romano pontifici complacitam Wirzburgensi episcopo delegasse.* Factum id esse consentiente pontifice haud negaverim, testante id etiam Egilwardo, sed non Romæ, quo Bonifacius sub Zacharia numquam pervenit. Plures novellæ Wirzburgensi ecclesiæ donationes factas præprimis a Carolomanno duce Pipini postea regis fratre ab anno 741. usque 747. recenset Egilwardus: cuius tamen uti et aliorum principum chartis donationum intercidissee merito dolet Eccardus f), qui cellas et ecclesias a dicto duce donatas enumerat ex diplomatibus Ludovici Pii imp. a. 823. et Arnulfi regis a. 889, quibus donationes Carolomanni confirmantur, de quibus iam in prolegomenis quædam diximus. His demum etiam Franciæ Orientalis ducatum accessisse, pluribus ibidem demonstrat Eccardus.

a) L'art de verifier T. I. p. 551.

b) Epist. 141. nov. edit. 86.

c) Epist. 141. nov. edit. 87.

d) Annal. T. V. ad an. 752. n. 8. seqq.

e) Franc. Or. T. I. p. 497. et 511.

f) l. c. p. 390. seqq.

VII. In superioribus martyrium SS. Kiliani et Sociorum, nec non clandestinam illorum sepulturam memoravimus: in quorum etiam præcipue honorem S. Bonifacius locum illum pro sede episcopali elegit. BURCHARDUS igitur corpora illorum e terra levare statuit, quod magno cleri et populi concursu nec minore miraculorum frequentia perfecit anno ordinationis suæ secundo, teste Egilwardo. Hanc vero ordinationem quum ipse perperam ad annum 751. reponat, translatio quoque ista ad annum 752. fuit consignata, melius anno 742. aut sequenti illiganda. Sacra autem corpora primo in Monte S. Mariæ seu castro Wirzburg reposuit, in quo, ut scribit idem, *nuper prima fundamenta nascentis ecclesiæ iacta fuerant, proposuitque BURCHARDUS principale illic suæ sedis instituere monasterium, ubi gentis illius primitus initiabatur exordium.* Factum id arbitror sive a duce Hedeno, sive ab eius filia Irmina, quæ paternum hoc castrum eum in finem cum BURCHARDO pro Carlburgo circa hæc tempora commutaverat. Verum quum locum illum ob montis asperitatem et aquarum penuriam minus commodum cerneret, in loco martyrii monasterium extruxit BURCHARDUS ex ligno primum, dein ex lapide, *domus Salvatoris*, postea *novum monasterium* nuncupatum, illucque post triennium SS. Martyrum exuvias e Monte S. Mariæ transtulit. Quum vero ambæ hæ translationes haud satis fuerint distinctæ, tempus quoque præcise determinari nequit. Illud tamen aliquo modo indicat vita S. Kiliani brevior, de qua in prolegomenis egimus. Ibi enim hæc leguntur: *Illustrante Domino merita eorum Martyrum, cum consilio et præcepto Zachariæ papæ, mediante Bonifacio archiepiscopo, a BURCHARDO primo Wirzeburgensium episcopo de tumulo honorifice sublevati sunt, regnante Pipino primo Orientalium Francorum rege feliciter.* Hæc si strictè accipiuntur, nulli alteri quam 752. anno convenire possunt, quo mense Martio Pipinus rex electus est, et simul obiit Zacharias papa, qui adeo antea iam elevationem istam præcepit, etsi ultima translatio serius contigerit.

VIII. BURCHARDUS Roma a. 748, ut videtur, ad ecclesiam suam reversus, totus erat in construendo cænobio, in quod secedere meditabatur; forte tamen iam ante profectionem Romanam id consilii cœpit, dum nimirum S. Kiliani Reliquias in montem primo transtulit, ubi monasterium condere proposuerat, uti vidimus. Id dein perfecisse videtur, quamvis dictas Reliquias inde postea removerit. Hoc, ut scribit Egilwardus, in arcto proclivi Montis B. Mariæ et allapsu Mœni fluminis situm, ac *in honore Dei Genitricis sanctique Apostoli Andrea constructum BURCHARDUS tanta dotavit quantitate prædiorum, quæ duodecim fratribus canonicis ibidem Deo militantibus sufficerent ad victum et vestitum.* De eo infra P. II.

in ecclesia collegiata S. Burchardi pluribus agemus; fundatoris enim sui nomen ei adhæsit, postquam seculo X. eius Reliquiæ ibi reconditæ sunt. Illatum est etiam huic monasterio corpus S. Magni martyris, qui alio nomine Andreas quoque vocatus, a S. Burchardo ad corrigendam plebem in Angliam missus, ibique martyr effectus, et Wirzeburgum deportatus ibi sepultus esse dicitur in vita metrica S. BURCHARDI a). Huc sæpius sese recipere consueverat BURCHARDUS, ne curis secularibus turbaretur eius devotio, cui alii quoque discipuli fuere adiuncti, quos inter præcipuus fuit S. Gumbertus, cognominati ab eo Onoldini postea cœnobii conditor, uti de collegiata S. Gumberti ecclesia acturi dicemus.

IX. Idem Egilwardus, uti in prioribus, sic etiam in postremis BURCHARDI gestis enarrandis tantopere aberravit, ut ubi tuto fides illi adhiberi possit, incertum omnino reddat. Ex illis præcipua examinabimus, et quum certiora nobis monumenta haud suppetant, ex aliis magis genuinis diiudicabimus, ipsi etiam aliorum iudicium subire parati. Refert itaque præprimis citatus scriptor, BURCHARDUM iam pene decrepitum de substituendo sibi Megingaudus seu Megingozo cum senioribus ecclesiæ suæ inivisse consilium, illisque ægre consentientibus legatos misisse ad imperatorem Carolum et ad Lullum metropolitam, ut *Megingaudus per omnia vir laudabilis ægotanti iam iamque deficienti præsuli BURCHARDO in cathedra Wirzeburgensi subrogaretur*. Licentia ad id impetrata, pergit, eundem Megingaudum ecclesiastico more cum maxima devotione, nec non universi, qui convenerant, cleri populi que favore venerabiliter inthronizavit. Interiectis deinde aliis de secessu S. BURCHARDI in Hohenburg, illum ibidem IV. Nonas Februarii obiisse scribit, postquam *quadraginta per annos in vinea Domini Sabaoth pondus diei et æstus fidelis servus et laborator indefessus portaverat*; paulloque post subdit: *Obiit autem anno incarnationis Domini septingentesimo nonagesimo primo*. Perstitit nempe fidelis suo systemati, quo BURCHARDUM anno 751. episcopum fuisse ordinatum statuit, quod etiam adoptavit Annalista Saxo et chronicon Wirzeburgense a Baluzio editum. Consentit fere in anno ordinationis Marianus Scotus in chronico b), qui ad an. 750. scribit: *BURCHARDUS primus episcopus Wirzeburgensis consecratur, et sedit annos novem*. Denique auctor ignotus c) ad an. 781: *Eo tempore obiit BURCHARDUS Herbipolensis episcopus*.

X. Plures hanc in rem sententias tantopere inter se discrepantes haud congerimus, sed veritatem duntaxat inquirimus. BURCHARDUM saltem iam a. 741.

a) Gropp script. Wirceb. T. I. p. 806. b) Pistor. script. T. I. p. 633. c) Mencken script. T. III. p. 65.

episcopum fuisse ordinatum, ex hucusque dictis certum est; cætera igitur ex hac epocha aliisque circumstantiis determinari debent. Taceo anachronismos in Egilwardi narratione occurrentes, dum BURCHARDI abdicacionem refert ad tempora Caroli M. imperatoris, qualis primum a. 800. renuntiatus est, et Lulli archiepiscopi Moguntini, qui iam a. 786. obiit, adeoque in resignationem BURCHARDI quinquennio fere postea defuncti consentire haud potuisset. Vel sola Megingaudi successoris ordinatio hic omnem litem dirimat. Certe teste Wandelberto cap. 1. de miraculis S. Goaris a) iam a. 768. dedicationi eius ecclesiæ interfuit *Megingodus urbis, quæ trans Rhenum sita sermone barbaro Wirzburg appellatur, episcopus*: et quod caput est, ibidem recensetur inter illos episcopos, qui a B. Bonifacio pontifice et martyre fuerunt ordinati. Eius itaque ordinatio facta esse debuit saltem ineunte anno 753., quo Bonifacius substituto sibi in Moguntina sede Lullo in Frisiam perrexit, sequenti anno martyrio ibi coronandus. Bonifacium iam a. 753. Traiectensi ecclesiæ præfuisse discimus ex diplomate Pipini regis pro ista ecclesia dato *mense Maio die 23. anno secundo regni ipsius gloriosi regis b)*: unde Lulli et Megingaudi ordinationem cum Cointio ad an. 752. referendam censemur, non tamen uno tempore factam adhuc a S. Bonifacio, antequam resignato episcopatu in Frisiam pergeret. Atque inde cætera iam suapte fluunt. BURCHARDUS ægitudine pressus Megingaudum sibi subrogari petiit et obtinuit, non tamen a Carolo M. et Lullo metropolita, sed a Pipino rege et Bonifacio, qui hunc etiam episcopum ordinavit, necdum tamen in dicta sede instituit, quum adhuc a. 752. in synodo Moguntina BURCHARDO *civitatis parochiam in Wirzburg delegarit c)*: quæ verba perperam intellecta imposuerunt scriptoribus, qui exinde pontificatus eius initialia ad annum 751. vel sequentem consignarunt, qui tamen BURCHARDO tunc non primum collatus, sed tantum commendatus aut confirmatus insinuatur, uti ex hucusque dictis satis manifestum esse arbitramur.

Bonifacio igitur ineunte a. 753. in Frisiam discedente, ipsius exemplo animatus BURCHARDUS conceptum propositum executioni mandavit, et abdicato pariter episcopatu *assumptis sex tantum ex omni multitudine discipulorum suorum monachis navim conscendit, atque inde per decursum fluminis ad castellum, quod Hohenburg dicitur, navigio proficiscitur, ibique aliquamdiu supervixit, in contemplatione divina, vigiliis scilicet, ieiuniis et orationibus insistens unacum prædictis fratribus continuo morabatur, ut scribit Egilwardus.*

a) Mabill. Sec. II. Bened. p. 289.

b) Coint. Annal. T. V. p. 406.

c) Concil. Germ. T. I. p. 93.

XI. Erat in vicinia castrî viculus Michelstat, sibi antea a Carolomanno duce donatus: illuc sese recipere ac monachorum congregationem instituere et præsentis vitæ terminum prætolari proposuerat. Verum non multo postquam in prædicto castello optimam partem elegerat, solito gravius illum corporis incommodum invadebat, donec ad extrema deductus exspiraret. Eius obitum ita enarrat antiquior vitæ scriptor: *Comperiens sanctus vir per corporis aegritudinem, vicinam sibi instare carnis dissolutionem, vocatis fidelibus, qui in præsentî adesse poterant, divini verbi pabula in extremo quoque præsentis vitæ termino ministrare curavit, monens illos viam veritatis insistere, caritatemque, in qua summa virtutum consistit, inviolabiliter observare. Posthæc extremi muneris benedictione prolata, corporis ac sanguinis Christi viatico munitus amissa mole terreni corporis migravit ad cælum etc.* Tempus eius regiminis et obitus varie a variis statui mox supra ostendimus. Cointius BURCHARDUM in castello Hohenburg integro triennio supervivisse, ibique anno 754, d. 2. Febr. obiisse scribit a), cui et nos quoad tempus mortis subscribimus, quamvis illum post abdicationem vix solido anno superstitem fuisse arbitremur. Certe in concilio Moguntino a. 752, uti iam memoravimus, BURCHARDUS adhuc notatur, uti et in præcepto Pipini regis pro monasterio Fuldensi, dat. mense Iunio anno primo regni nostri b), qui utique est annus æræ 752, quo mense Martio rex factus est Pipinus, quidquid alii contra moveant c). Subscribitur ibi post Bonifacium BURCHARDUS episcopus, et inter alios quoque *Megingozus presbyter*, adeoque postea primum ordinatus a S. Bonifacio episcopus, si tamen is ille sit Wirzeburgensis episcopus, et non potius cognominis Fritislariensis monachus, de quo infra N. XV. nonnulla dicemus. Cathedram igitur suam adhuc a. 752. mense Iunio tenebat BURCHARDUS, qua brevi postea abdicata Hohenburgum fecessit, ac postquam ibi aliquamdiu moratus fuerat, obiit. Id profecto longum vitæ spatium haud indicat, sed nec indicare potest; Luitgerus enim in vita S. Gregorii Traiectensis in disciplina S. Bonifacii enutriti et sui olim magistri d), dum eiusdem S. archipræsulis discipulos recenset, duo, inquit, *ex illis electis Dei Wigbertus et BURCHARDUS ante magistrum migrarunt a seculo. Sed non sunt absque palma electionis suæ, dum ad regna cælestia magistrum præcedere meruerunt, et in regionibus suis pro sanctis Dei habentur et coluntur ab omnibus, qui vitam illorum et virtutem cum Deo nosse potuerunt.* Bonifacium autem anno 754. d. 5. Iun. in Frisia glorioso martyrio vitam finiisse, communior sententia tenet; mors ergo BURCHARDI eius discipuli intermedio hoc tempore evenire debuit e). Mabillonius equidem in notis ad vitam S. BURCHARDI illum iam ad an. 751.

a) l. c. p. 463. b) Schannat diœc. Fuld. prob. p. 234. c) Vid. Calles annal. Germ. T. II. p. 330. seqq.
 d) Mabill. fec. III. Bened. P. II. p. 326. e) Vid. Eccard. Franc. Or. T. I. p. 521.

defunctum existimat, quod tamen cum superioribus conciliari nequit. Scriptores vero haud satis distinxisse videntur inter abdicationem et mortem S. BURCHARDI, inter quas tamen unius saltem anni spatium intercedere debuit, unde quoque anni eius pontificatus exacte determinari haud possunt. Ex nostro computo ab anno 741. usque ad an. 752. saltem annis undecim præfuisset. Sed aliorum hic iudicium esto, qui fontibus propius assident, nostrum enim aliud haud est, quam ea pro- pinare, quæ aliunde hausimus, limpida tamen satis, ut saltem opinamur.

XII. Corpus defuncti Megingozus eius successor ex castro Hohenburg, ubi obierat, solempni pompa Wirceburgum reportavit, atque in Novo Monasterio iuxta Reliquias sancti Kiliani ab ipso olim huc translatas sepelivit. Illud post ducentos et amplius annos Hugo episcopus in fundatum ab ipso S. Andreæ monasterium transtulit, quod exinde a S. BURCHARDO nomen accepit, estque hodie insignis eius nominis Collegiata ecclesia. Eius solempnis memoria in diœcesi ad d. 14. Oct. peragitur, qui translationis dies est, quamvis in aliis menologiis ad 2. Febr. adnotetur, quo obiit. De hoc agemus infra sec. X. N. XIV. XV. in Hugone episcopo XV.

XIII. Monachum fuisse BURCHARDUM, Egilwardus haud obscure indicat L. 3. c. 1. Et certe supra N. II. illum cum aliis *in venerandi archiepiscopi Bonifacii monastica conversationis regula* fuisse susceptum vidimus. Bonifacium vero antea in Anglia Benedictinum fuisse monachum et abbatem aliunde certum est, unde et discipulos in eadem regula instituisse recte censetur, qualis quum fuerit BURCHARDUS, etiam eiusdem instituti alumnis iure adnumeratur: unde in ecclesia quoque cathedrali S. Kiliani monachos constituit satis copiosos, ex quibus sex fecum Hohenburgum adduxit N. X. reliquos postea Bernwelfus episcopus expulit, infra N. XXIV. eorumque loco canonicos induxit.

II.

MEGINGAUDUS SEU MEGINGOZ.

Ab anno 753. usque 785.

XIV. Luitgerus supra a nobis relatus inter S. Bonifacii discipulos, qui magistrum supervixerint, memorat Gregorium Traiectensem, Lullum Moguntinum, P. I. ANN. EPP. WIRZ. B

MEGINGODUM venerabilem patrem et pastorem civitatis Wirzeburg. Willibaldum, aliosque: ex quo testimonio MEGINGAUDUM S. Bonifacii discipulis accensendum esse extra dubium est. Sed qua patria, unde domo? lis est inter scriptores diu agitata, necdum decisa, quam hic paucis discutimus. Mabillonius *a)* MEGINGOZUM inter illos numerat, quos S. Bonifacius ex Anglia cooperatores accivit, de quo tamen vitæ Bonifacianæ scriptores silent. Eccardus *b)* Mabillonio consentiens eam in rem profert epistolam inter Bonifacianas 80. nov. ed. III, quam Lullo episcopo inscripsit MAGINGAOZ absque ulteriore nota. Ex illa sane constat, MEGINGOZO fuisse forem abbatissam in aliquo diœcesis suæ monasteriolo, ubi simul tum fuerint duæ eius ex fratre neptes velatæ virgines, quarum an aliqua in locum suæ fororis periculose decumbentis substituenda sit, Lullum consulit. Suspiciatur Eccardus, monasterium istud fuisse Kitzingense, cui teste Othlono Thecla ex Anglia advocata erat præfecta, ex ipsius sententia MEGINGAUDI foror, cui successerit neptis Rothlauga alterius cuiusdam parthenonis monialis. Sponte inde sequeretur, MEGINGOZUM æque ac Theclam forem eandem patriam Angliam habuisse.

XV. Verum coniecturæ Eccardi nostram hac de re mentem opponere liceat, unde MEGINGOZUM non Anglum, sed Francum, qualem vel ipsum nomen prodit, fuisse evincere speramus. Apud Schannat *c)* duæ leguntur chartæ anno 788. pro cœnobio Fuldensi datæ, una *Iulianæ abbatissæ fororis Mantonis et Megingozis* fratrum comitum: altera eorumdem fratrum, ubi variæ eorum possessiones enumerantur, quas se a *patre suo Mantone*, qui etiam *senior* dicitur, in diversis Franconia pagis accepisse profitentur, maxime circa Schwarzachium. Exhibet illam ipsam chartam Eccardus *d)*, putatque MEGINGOZUM hunc cum Immina coniuge sua conditorem fuisse cœnobii a se *Megingaudeshausen*, postea *Schwarzachium* appellati, de quo suo loco dicemus. Patrem vero eius Mantonem seniore iam antea Schwarzachii virginum cœnobium fundasse recte suspiciatur, ubi filiam suam Iulianam primam abbatissam præfecerit *e)*. Nos Iulianam secundam potius novi huius parthenii antistitam arbitramur, illam ipsam nempe, quam MEGINGOZ episcopus in citata ad Lullum epistola *fratris sui*, seu Mantonis senioris, filiam appellat, quamque fororj suæ, primæ ibidem abbatissæ, ægrotæ ob minorem ætatem substituendam haud iudicat, etsi de cætero muneri aptam, quæ tamen deinde a Lullo præfecta est. Lullus an. 786. obiit, MEGINGOZUS anno præterito abdicavit; illa igitur epistola antea iam scripta esse debuit, dum interim forore MEGINGOZI defuncta,

a) Annal. T. II. p. 72.

b) T. I. p. 524.

c) Tradit. Fuld. p. 44.

d) L. c. p. 729.

e) Vid. id. T. II. p. 123.

Iuliana fratris sui Mantonis senioris filia ei succedens a. 788. præfuit, ut ex citata charta colligitur. MEGINGOZ itaque episcopus frater erat Mantonis senioris, patruus vero iunioris et Megingozi, quod adeo nomen familiæ suæ usitatum fuit, quam ex comitibus Rotenburgensibus recte repetit Lucæ a), uti infra in Monasteriologia apud *Schwarzach* plenius videbimus. Habemus itaque, ut opinor, genuinum MEGINGOZI seu MEGINGAUDI episcopi genus ac patriam in Franconia, quin Anglia nobis opus sit, quidquid Egilwardus aliique contra sentiant. Causa porro dissidii ista videtur, quod confusus sit cum cognomine fere Megingordo Fritislariensi monacho et *diacono*, uti vocatur in epistola S. Bonifacii 17. nov. ed. 79, anno 747. scripta post 12. Aug. mortuo iam Wigberto abbate. Notari meretur, quod is *diaconus* tantum hic dicatur, diversus adeo esse debuit a MEGINGOZO *presbytero*, qui in charta Bonifacii de finibus monasterii Fuldensis b), eodem anno, sed iam d. 22. Mart. data subscribitur. Hanc distinctionem certe nec Mabillonius nec Würdtweinius observarunt, utrumque pariter confundentes. In quonam autem monasterio antea monachus fuerit MEGINGOZUS noster, nec Egilwardus prodit, qui tamen illum monachis adnumerat, quamvis ipse hunc quoque natione Anglum fuisse perhibeat.

XVI. MEGINGAUDI ordinationem paullo ante N. IX. narravimus. Quid porro iam episcopus gesserit, paucis quidem, fatis tamen commemorat Luitgerus sæpe laudatus in vita S. Gregorii Traiectensis c): MEGINGODUS *et pastor gregis sibi commissi civitatem Wirzburg cum suis adiacentiis in sua sorte sale sapientie et doctrina suæ condidit et custodivit*; addit Egilwardus, *catholicis et orthodoxis semper intendens institutis . . . qui professione monachus nullatenus mutans vel inficiens rigorem propositi, semper irreprehensibilis, verbis et exemplis mirifice pollens, gubernacula tenebat pontificalis officii, unde tam secularibus quam ecclesiasticis, cunctisque, qui ipsum noverant, personis, amori simul fuit et honori*. Illius etiam memoria occurrit in nonnullis conciliis, Compendiensi scilicet a. 757. d), ubi subscriptus legitur MANGAUDUS *episcopus*, si tamen Wirzburgensis fuerit; anno 765. in Attiniacensi MEGINGOZUS *episcopus civit. Wirziaburgo e)*. Notatur quoque MEGINGAUDUS episcopus in diplomate Pipini regis pro monasterio Prumiensi ann. 763. f), cuius etiam dedicationi ann. 768. interfuit. Inter Bonifacianas legitur epistola 87. nov. ed. 110, qua MEGINGOZ Lullo dubium suum proponit de dissolubilitate vinculi matrimonii ob alterutrius

a) Graffensaal p. 1083.

b) Eecard. T. I. p. 476.

c) Mabill. sec. III. Bened. P. II. p. 326.

d) Labb. T. VI. concil. p. 1694.

e) L. c. p. 1702.

f) Mabill. annal. T. II. p. 705.

partis adulterium: quæ res adeo necdum satis tunc determinata fuisse videtur. Anno 774. MEGINGOZUS *Wirceburgensis* adfuit consecrationi ecclesiæ Laureshamensis præsentem etiam Carolo M. peractæ a), cui haud diu superstes fuisse dicitur.

XVII. Episcopi nostri temporibus circa a. 772. cœpta fuit Caroli regis expeditio in Saxones, eorumque conversioni initium datum, in quo negotio suas etiam MEGINGAUDO partes fuisse testatur vitæ S. Meinwerci scriptor b): *Quum*, inquit, *noviter factæ conversionis messis multa, novellæ vero plantationis operarii essent pauci, locum eundem (Paderbornam eiusque districtum) tuitioni præsulum Wirceburgensis ecclesiæ commisit Carolus. Et chronicon Franconiæ apud Schatenium c) ad annum 795, regionem, quæ circa Paderbornam extenditur, ante Hathumarum ibi episcopum constitutum, ab episcopis Wirceburgensibus administratam fuisse scribit; de quo pluribus agit Eccardus d). Propius rem tangit Gobelinus Persona Cosmodr. æt. 6. c. 38. e): Quia nondum omnes Saxones fidem Christi susceperant, non erat tutum adhuc in illis locis episcopos ordinare. Erexit igitur Carolus quandam ecclesiam in Paderborne, quam commisit episcopo Wirceburgensi respiciendam, donec de episcopo posset eidem loco providere: et hæc ecclesia incepta est anno Domini 780, sedente adhuc MEGINGAUDO.*

XVIII. De Hathumaro, qui primus Paderbornensibus episcopus datus est, hæc scribit Ido presbyter de translatione S. Liborii ep. f): *Erat in clero Wirceburgensi vir magnæ humilitatis atque modestiæ, Hathumarus nomine, de gente nostra, hoc est, Saxonia oriundus, qui quum adhuc puer esset, belli tempore Carolo, postea imperatori, obses datus illic servari iussus est: ubi postea tonsuratus ac studiis litterarum traditus, in virum perfectum moribus et eruditione profecit. Satis hæc ostendunt, insignem iam tum viguisse scholam in Herbipolensi ecclesia, ex qua etiam Baduradus Hathumari in fede successor prodiit, qui et ipse pueros tam nobiles, quam inferioris conditionis in scholam congregatos in divinæ legis eruditione instituit, ut ibidem legitur.*

Aliam quoque scholam in erecto a se Neostadiensi cœnobio instituit MEGINGAUDUS, in qua iuventutem per suos monachos in sacris Christianæ religionis instrui curavit.

XIX. Senio demum, laboribus et morbis fractus, antecessoris sui exemplo inductus eodem, quo ille, modo episcopatu se ultro abdicavit, ac quemdam de

a) Mabill. l. c. p. 228. b) T. I. Iun. Boll. p. 511. c) Hist. Westph. T. I. p. 379. d) T. I. p. 630. seqq. e) Meibom. script. T. I. p. 238. f) Calles annal. Germ. T. I. p. 505.

suis clericis, nomine Bernwelfum, sibi in præsulatu subrogavit, cooperantibus sibi in eadem ordinatione Lullo metropolitano, et Willibaldo Eistettensi episcopo, coram universo ipsius ecclesie clero populoque, ut habet Egilwardus post vitam S. Burchardi, nulla addita temporis nota. Vel sola tamen hæc epocha indicat, resignationem illam saltem post annum 786. contingere haud potuisse, quum uterque Bernwelfi ordinator Lullus et Willibaldus illo anno decesserit. Unde qui id anno 785. factum scribunt, ultimum terminum ponunt, quod tamen non impedit, quin prius iam fieri potuerit, sed omnino post annum 774. seu dedicationem ecclesie Laureshamensis, cui Kal. Sept. interfuit. Hæc quum sola extra dubium sint, operam perdere nolumus in formandis incertis coniecturis, quas disquirunt Cointius a), Tritheimius, et maxime Eccardus b), ubi vero transpositionem in cifris factam arbitror, quum MEGINGAUDUM integris quadraginta tribus 43. annis sedem occupasse scribit, pro triginta quatuor (34.), quot nempe ex eius computo fluxerunt ab eius ordinatione a. 752. usque ad resignationem, quam ipse ad a. 785. consignat: nisi forte hic computet etiam reliquos decem annos, quibus adhuc usque ad a. 794. aut 795. supervixit.

XX. Prosequitur Egilwardus: MEGINGAUDUS *rebus et possessionibus, mobilibus scilicet et immobilibus, quæ ad episcopium pertinebant, eidem successori suo relictis, ipse cum paucis ad locum, a quodam Hattone sibi donatum, commigravit. Nomen loci Rorilatham seu Rorilacham mox postea indicat, qui dein Neustatt seu Neostadium appellatus est, de quo monasterio infra P. III. agemus.*

Ibi a Bernwelfo successore suo tantopere exagitatus est MEGINGAUDUS, ut, teste eodem Egilwardo, *tadio affectus sese suosque discipulos, ipsum quoque locum, Caroli regis protectioni committeret, et eius adiutorio monasterium ibidem a se suisque monachis habitandum institueret. Si Egilwardum recte capio, monasterium istud a MEGINGAUDO adhuc episcopo, dum secessum meditabatur, erectum est, cui forte plura ecclesie Wirceburgensis bona contulit; quæ absque dubio præcipua contentionis ferra fuit, quum Bernwelfus abalienata repeteret, alter vero illa ceu suæ olim potestatis reddere nollet, unde et monachos cæteros e S. Kiliani monasterio pulsos ei remisit Bernwelfus, utique ex illis bonis alendos.*

XXI. Neostadii itaque monachorum primus abbas existens MEGINGAUDUS per decem circiter annos post resignationem superstes fuit, ac tandem meritorum

a) Annal. T. V. p. 743. b) T. I. p. 702. seqq.

plenus obiit. Id ad annum 794. VI. Kal. Oct. consignat chronicon Wirceburgense a Baluzio editum, quod plerique sequuntur. Eius tamen epitaphium in pariete ecclesiæ S. Kiliani nunc Novi Monasterii ita habet: *Maingutus comes Rotenburgensis vir sanctus moritur a. 795, hic subtus, sepulchris SS. Kiliani et Burchardi vicinus, sepelitur*; illuc enim corpus eius Neostadio translatum est. In ecclesiæ huius restauratione a. 1711. lapideus eius sarcophagus repertus est, unacum sequente genuino epitaphio, temporum iniuria aliquantulum læso, quod exhibet Eccardus a).

„Præsulis hic tegitur famosi cespite corpus,
Terram terra tenet, spiritus astra petit.
MAGINGODUS in hac antestis forte secundus
Exitit, atque pio promptus in officio.
... quondam Bonifacius arcis honorem
Perduxit, sacro constituitque gradu.
Vixit in hoc mundo castus sine crimine vates,
Mortuus in Christo præmia carpit ovans.“

Comprobatur hinc etiam, quod supra b) scriptorum testimoniis asserui, MEGINGAUDUM adhuc a S. Bonifacio consecratum fuisse episcopum.

XXII. In Groppii scriptoribus Wirceb. c) incertum, quo auctore, refertur, MEGINGAUDUM a Carolo M. Ratisbonam esse missum, ut sparsam a Felice Urgelitano hæresin comprimeret, ubi etiam impii erroris magistrum ad pœnitentiam traduxerit. Factum id foret in synodo Ratisbonensi coram ipso rege celebrata an. 792. d), de qua hæc habet Alcuinus e): *Hæc vestra erroris secta Carolo glorioso principe presidente, præsentate Felice vestre partis tunc temporis defensore, ventilata est in celeberrimo loco, qui dicitur Raiginsburg, et synodali auctoritate sacerdotum Christi, qui ex diversis Christiani imperii partibus convenerant, æterno anathemate damnata f).* Facile igitur vicinus quoque Wirceburgensis episcopus ibi cum aliis adfuerit. Quod vero id MEGINGAUDO tribuatur, qui pridem abdicaverat, id ex recepta opinione profluxisse videtur, qua primum a. 791. episcopus factus esse credebatur. Aut forte dicendum, illum etiam post resignationem ob senectutis et peritiæ prærogativam a Carolo rege illuc fuisse missum. Verum deficientibus actis certi quid statui haud potest.

a) T. I. p. 524. et p. 710. b) N. IX. et X. c) T. II. p. 778. d) Concil. Germ. T. I. p. 287.
e) L. I. adv. Elipand. c. 16. f) Vid. Coint. annal. T. VI. p. 476.

III.

BERNWELFUS.

Ab anno 785. usque 800.

XXIII. **B**ERNWELFUS in vitæ compendio apud Frisium nobilis Ost-Francus dicitur, qui in monasterio S. Andreæ canonicus sobriam vitam duxit, litteris apprime imbutus. Sub Megingaudo episcopo ecclesiam Paderbornensem, Wirceburgensi tunc adhuc commendatam, vicario nomine *per aliquot annos* rexit, ut ex veteri Franconiæ chronico scribit Schatenius *a*). Quum igitur, ut supra vidimus, anno 780. ecclesia Paderbornæ fuerit instituta, facile ab illo tempore eam regere potuit BERNWELFUS, et quidem cum laude, quum a Megingaudo a. 785. in fede sua successor ceu dignissimus sit electus, a metropolitano ordinatus, et a clero ac populo cum gaudio receptus, ut mox supra diximus.

XXIV. Verum pro hoc favore minus gratum se benefactori suo exhibuit, illum in monastica sua quiete variis modis insectatus, uti quidem his verbis testatur Egilwardus: Megingaudo Neostadium cum paucis secedente *remanserant apud monasterium S. Kiliani, cathedralem scilicet Wirceburgensem, plusquam quinquaginta fratres, quos tamen non multo post BERNWELFUS cum iniuriis expulsos ad magistrum suum Megingaudum navigare coëgit*; unde illos monachos fuisse constat, nec enim canonicos expulisset, aut ad monasterium mississet. *Ad hæc beatum virum idem BERNWELFUS multis inclamationibus vexavit pro diversis suppellectilibus, quæ Christi confessor Burchardus in vestitu sacerdotali, sive codicibus, nonnullisque rebus familiaribus reliquerat, ut supra N. XX. retulimus.* Aliam dissidii causam assignat Frisius in gestis huius episcopi, quæ priori forte accessit, aut pallium saltem præbuit. Fratres, ut mox memoravimus, apud ecclesiam S. Kiliani relictæ, a Megingaudo in schola sua fuerant educati. His ille plus forte indulserat, ac BERNWELFO placeret: unde durius ab illo habitæ querelas ad priorem suum episcopum detulerunt. Ab hoc desuper admonitus BERNWELFUS accusatores suos monachos ecclesia sua eiectos ad Megingaudum propterea sibi exosum commigrare iussit. Atque exinde canonici in cathedrali S. Kiliani ecclesia seu Domo Salvatoris fuere constituti.

a) Hist. Westph. T. I. p. 17.

XXV. Reliqua eius gesta incognita ut plurimum sunt, si pauca excipias. Producit Eccardus a) ex tabulario Wirceburgensi diploma Ludovici Pii imp. datum XIII. Kal. Ian. a. 837, quo confirmat commutationem, quam fecerat tempore Caroli magni BEROWELPUS Wirceburgensis episcopus, datis quibusdam ecclesie suae rebus ad fiscum eiusdem Caroli, et interveniente Misso illius Hunrogo comite alias eiusdem meriti res ad partem suae ecclesie ex potestate fisci accepit, scilicet res, quas homo quidam, seu vassus regius, Guntbertus nomine, ex rebus iuris sui legaliter per diversos pagos et loca eidem Carolo delegaverat. Inter hæc notari meretur Onoltespach, uti inferius in descriptione huius collegiatæ ecclesie disseremus.

XXVI. Ad BERNWELFUM etiam spectat altera eiusdem archivi charta b), qua Arnulfus rex ecclesias Slavicæ inter Mœnum et Radantiam fitas Arnoni episcopo confirmat d. 21. Nov. an. 889. Iam S. Burchardus et Megingaudus eorum populorum ad fidem conversioni insudaverant: quum vero deessent ecclesie ac redditus pro operariis sustentandis, Carolus M. decimas eis imperavit, iniunxitque BERNWELFO et tribus eius successoribus, uti etiam fecit Ludovicus Pius in allegato diplomate, ut una cum comitibus a rege constitutis in hac Slavorum regione ecclesias exstruerent, quatenus ille populus noviter ad Christianitatem conversus habere posset, ubi et baptismum perciperet, et prædicationem audiret, et ubi inter eos, sicut inter ceteros Christianos, divinum officium celebrari posset. Primum adeo salutari huic operi manum admovit BERNWELFUS, quod eius successores perfecerunt; quatuordecim enim ecclesie memorantur exstructæ, quas imperator non modo construi imperavit, sed et liberali manu dotavit, ut in citato diplomate videre est.

XXVII. Sanctis his pro fide dilatanda laboribus immortuus est BERNWELFUS an. 800. VI. Kal. Oct. ex chronico Baluziano. Unus hic dissentit Cointius c), qui tamen sibi haud constans singulis fere tomis aliam episcoporum Wirceburgensium chronologiam profert. Illi septem episcopatus annos cum Egilwardo attribuit, alii sex tantum numerant. Sed, iam productis aliis exemplis observavit Pagius in critica Baronii ad an. 786. n. 12. veteribus in more fuisse positum, ut si quis episcopus dignitati renuntiasset, reliquos, quibus supervixerat, annos modo eidem, modo successoribus adscriberent. Atque hoc sensu Megingaudus sedem annis 43. tenuisse dici potuit Eccardo, nempe a resignatione Burchardi an. 752, usque ad suum obitum an. 794, licet usque ad suam abdicationem an. 785, tantum 34. anni effluerint. Quæ item ratio est, cur BERNWELFO

a) T. II. p. 884.

b) Eccard. I. c. p. 894.

c) Annal. T. VI. p. 115.

nunc sex anni a morte Megingaudi an. 794, nunc quindecim anni ab electione sua an. 785. assignentur. Conf. historia monasterii Neostadiensis infra P. III.

 SECULUM IX.

IV.

LIUTERICUS.

Ab anno 801. usque 804.

I. **LIUTERICUS**, **LUTERICUS** vel **LUITRIGUS** Frisio Caroli M. capellanus audit, quocumadeo an. 800, 24. Nov. Romam pervenit. Ibi Carolus Bernwelfi morte percepta, Wirceburgensibus novum piumque pastorem postulantibus hunc suum capellanum ad id muneris destinavit, papa Leone III. id adprobante. Romæ igitur consecratus anno 801, exeunte Martio ad sedem suam accessit. Interfuit haud dubio synodo, quam eodem anno mense Novembri Carolus iam imperator Aquisgranum pro episcoporum ac cleri examine convocavit. Ibi etiam ei a Carolo cura ecclesiarum Slavorum Vinidorum in sua diœcesi, quas Bernwelfus exstruere cœperat, demandata fuisse videtur ex allegato superius Arnulfi regis diplomate, ubi **LUDRICUS** vocatur.

II. Verum breve fuit eius regimen, iam enim obitus eius ad III. Kal. Mart. a. 803. notatur in chronico Baluziano, ubi simul erronee annus 802. exprimitur. Frisio annis duobus et quinque mensibus præfuisse dicitur, scilicet a morte antecessoris d. 29. Sept. a. 800. Egilwardus, Trithemius, aliique ei tres annos, menses quinque tribuunt, ex quo computo primum a. 804. obiisset, quam genuinam mortis epocham esse, mox in successore dicenda monstrabunt. In catalogo apud Imhoff a) initium eius episcopatus ab a. 801. d. 27. Febr. repetitur, qua die forte ordinatus est, quum fuerit eo anno sabbathum quatuor temporum, minus recte vero obitus a. 803, 27. Febr. notatur, fuit enim annus 804, et sic præcise annis tribus præfuit, additis adhuc mensibus, qui a morte antecessoris usque ad sui ordinationem decurrerunt.

a) Not. Proc. Imp. novæ ed.

V.

EGILWARDUS.

Ab anno 804. usque 810.

III. Cuncta fere de hoc episcopo aut incognita sunt aut incerta, si nomen excipias, quod ipsum tamen varie exprimitur, EGILWARDUS, AGILWARDUS et EGILBARTUS aut forte EGILBERTUS, quo ultimo nomine pluribus Caroli M. chartis subscripsit eius notarius, quem eundem cum nostro EGILWARDO postea episcopo fuisse suspicatur Eccardus a). Illum quoque b) auctorem existimat annalium Francorum, quos *Lambecianos* dicunt, utpote a Petro Lambecio in commentariis bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis c) editos, quos denuo Kollarus *Analectis* suis Vindobonensibus d) inseruit notis illustratos, et antea iam Muratorius e), mutilos tamen, unde eos integros ab anno 703. usque 803. dedimus T. I. Monum. Germ. N. IV. ex codice sec. IX. bibliothecæ nostræ desumptos.

IV. EGILWARDUS ab Eccardo sub Bernwelfo ecclesiam Paderbornensem administrasse dicitur, adeoque ante a. 795, quo Hathumarus proprius ibi episcopus constitutus est. Frisius illum munus episcopale XVI. Kal. Iul. a. 803. accepisse scribit, quæ si de ordinatione intelligit, id ad an. 804. pertinet, quo dies 16. Iun. dominica erat, qua episcoporum ordinationes instituebantur. In citato Arnulfi regis diplomate a. 889. EGILWARDUS recensetur inter illos episcopos Wirzeburgenses, quibus ecclesiæ Slavicæ a Carolo M. fuerunt commendatæ. Hic enim imperator devictos anno 804. *Transalbianos Saxones cum mulieribus et natis in Franciam*, Orientalem scilicet, *transtulit*, inter Radantiam et Mœnum collocatos cum Slavis iam antea illuc missos, uti ex annalibus Fuldensibus et Eginhardo notat Hermannus. Illorum memoria occurrit in diplomate Ottonis III. imp. a. 996. dato, quo Caroli M. et sequentium imperatorum ac regum præcepta confirmat *de Saxo-ribus, qui Nortalbingi seu Transalbini dicuntur, sive cæteris accolis, pro liberis hominibus in eiusdem ecclesiæ Wirzeburgensis prædiis manentibus f)*. Idem Eccardus g) fisisit aliud diploma Caroli M. quo an. 807. ratam habet commutationem quorundam

a) T. I. p. 654. b) T. II. p. 19. c) T. II. p. 377. d) T. I. p. 571. e) Script. Ital. T. II. P. II. p. 85.
f) Eccard. T. II. p. 35. g) L. c. p. 51. et 863.

bonorum factam ab AGILWARDO episcopo et Audulfo glorioso comite, Baioariae scilicet, et Misso regio, qui in Franconia fiscis regis præerat.

V. Obitum EGILWARDI alii ad annum 809, alii ad sequentem referunt, prout nempe in anno eius ordinationis 803. vel 804. differunt. Nos iuxta superius dicta cum Trithemio et nonnullis catalogis illum an. 810. d. 24. April. defunctum arbitramur, post sex regiminis annos, quos ei plerique tribuunt ab ordinatione d. 16. Iun. computandos, adiectis simul quatuor fere mensibus ab antecessoris obitu numeratis, more, ut supra observavimus, tunc usitato.

VI.

WOLFGERUS SEU WOLFGARIUS.

Ab anno 810. usque 832.

VI. **W**OLFGERUS, de cuius genere et actis ante pontificatum non constat, ad populi clerique preces in pontificalem cathedram ordinatur an. 810. d. 12. Maii, quæ erat dominica. Hunc testamento Caroli M. an. 811. confecto subscriptum vult Frisius. At enim *Wolfarius* ibi notatus non Wirceburgensis episcopus est, sed archiepiscopus Rhemensis, et aliunde simplex episcopus metropolitidis haud præponeretur a). Eodem tamen aut sequente anno WOLFGARIUS episcopus *Wirceburgensis* cum aliis quibusdam episcopis iussu imperatoris turbas inter Ratgarium et monachos Fuldenses exortas sedavit b).

VII. WOLFGERUS demum absolvit quatuordecim ecclesias ab antecessoribus suis inceptas et destinatas Nordalbingis et Slavis, quos a fuscepta Christiana fide ad idola sua relapsos Carolus M. ex Saxonia et vicinis locis in Franciæ Orientalis solitudines abduxerat, ut ibi terra excolta domicilia figerent. Has basilicas dein Ludovicus Pius dotavit, assignatis cuique certis mansis, prout constat ex sæpe citato privilegio Arnulfi regis a. 889, ubi WOLFARIUS appellatur. Illas hoc ordine recenset Frisius: *Lonnerstadt, Wachenrode, Mülhausen, Erlang, Vorchheim, Bruck, Hallstadt, Bamberg, Baunach, Höchstadt, Schlüsselfeld, Haslach, Oberhaidt, et Geissewindt.*

a) Vid. Eccard. T. II. p. 65. et Gall. Christ. T. IX. p. 33.

b) Mabill. annal. T. II. p. 393. seq.

VIII. Concesserat a. 810. Carolus M. Ratgario Fuldensi abbati decimas in Buchonia ad perficienda ædificia, ecclesiæ luminaria renovanda, et hospites pauperesque fuscipiendos *a)*. Has vero ecclesiæ suæ competere contendebat WOLFGERIUS ex antiquiore Carolomanni et Pipini donatione S. Burchardo facta. Ad quam litem dirimendam a. 815. Resbaci conventus institutus est, ad quem imperator legatos suos miserat. Ibi WOLFGERUS de decimatione sua, quæ postularat abbas, ei concessit, conventionem desuper facta e. a. VI. Kal. Apr. et a Ludovico Pio anno sequente VI. Non. Maii confirmata *b)*. Hoc item anno WOLFGERUM concilio Aquisgranensi interfuisse, ex anonymo scribit Schatenius *c)*. Ad eius etiam tempora referuntur foundationes monasteriorum Meringaueshausen feu Schwarzach, et Murhart, nec non dotatio Neostadiensis, de quo infra P. III. uberius tractabimus.

IX. Post annum 813, quo illum obiisse perperam asserit Cointius, pluribus adhuc conventibus adfuit WOLFGERUS. Aderat certe a. 820. comitiis Aquisgrani habitis, ut constat ex privilegio Ludovici Pii XIII. Kal. Febr. ibi concessio de Eichesfeld et Gibulstat *d)*, Francofurti quoque an. 822. XIV. Kal. Ian. ab eodem imperatore accepit confirmationem immunitatis a Carolo aliisque regibus ecclesiæ Wirceburgensi concessæ, nec non ecclesiarum et cellarum, quas olim Carolomannus et Pipinus donaverunt, omnes in diplomate enumeratas *e)*. In eodem quoque loco VIII. Kal. Ian. a. 823. Ludovicus Pius dato diplomate ratam habuit commutationem bonorum initam inter WOLFGERUM (qui hic WALCHERUS dicitur) episcopum et Wichaldum comitem *f)*. Anno 826. comitiis Ingelheimensibus cum aliis optimatibus et episcopis adfuisse, ibique Heroldum Daniæ regem cum familia baptizasse verosimile putat idem Eccardus *g)*, quin tamen id extra controversiam fit *h)*. Præsens demum fuisse synodo Moguntinæ a. 829, primæ in causa Godeschalci, memoratur a Centuriatoribus Magdeburgensibus, qui acta illa inspexerant *i)*.

X. Nullam posthac WOLFGERI mentionem reperio, quem omnes fere post viginti duorum annorum et sex mensium pontificatum fatis cessisse scribunt d. 4. aut 12. Nov. an. 832. conformiter nempe chronico Wirceburgensi Baluziano *k)* ad eum annum: WOLFGERUS episcopus Wirziburgensis obiit II. idus Nov. sedit annos

a) Schannat Hist. Fuld. prob. p. 83.

b) Eccard. T. II. p. 867. seqq. Mabill. annal. T. II. p. 416.

c) Annal. Paderb. L. II. ad h. a.

d) Eccard. I. c. p. 160. et 880.

e) L. c. p. 177, 881.

f) L. c. p. 883.

g) L. c. p. 202.

h) Conc. Germ. T. II. p. 36. et Calles ann. eccl. T. III. p. 181.

i) Centur. IX. c. 9. p. 404.

vid. Concil. Germ. I. c. p. 54.

k) Miscell. L. I. p. 504.

XXII, menses VI, dies XI, alibi dies IX. fed dies undecim et quartam Nov. præferimus, qui etiam in Msc. catalogo notatur, omnino enim a morte antecessoris Egilwardi d. 24. April. an. 810, usque ad obitum WOLFGERI d. 4. Nov. anno 832. præfatum tempus effluxit, ex veteri annos episcoporum computandi more a).

VII.

H U M B E R T U S .

Ab anno 832. usque 842.

XI. **W**olfgero catalogi omnes HUMBERTUM substituunt, et quidem ad ultimam diem anni 832, quo prior defunctus est. Adversatur tamen Cointius b), eumque secutus Mabillonius c), ob HUMBERTUM episcopum iam an. 819. in dedicatione ecclesiæ Fuldensis memoratum, qui in vita metrica S. Eigilis abbatis duas ecclesiæ cryptas ceu *chorepiscopus* iussu Heistolfi *archiepiscopi sui* consecrasse dicitur. Dubitat equidem Mabillonius, an non hic pro *chorepiscopus* legi debeat *coepiscopus*, scilicet Wirceburgensis iam tum factus. Quum tamen utraque Eigilis vita ei *chorepiscopi* nomen tribuat, nil impedit, quo minus eum tum quidem sub Moguntino archiepiscopo Haistulfo munus *chorepiscopi* obiisse, postea vero primum Wirceburgensem episcopum factum dicamus, maxime si is ille sit *Humbracht diaconus*, qui inter Wolfgeri episcopi canonicos subscripsit in charta conventionis cum abbate Fuldensi an. 815, de qua paullo ante diximus. HUMBERTUM saltem ante annum 832. Herbipolensem fuisse episcopum non admittunt monumenta superius allata et paullo post producenda.

XII. Aliquod vero temporis spatium fluxisse inter Wolfgeri obitum et HUMBERTI electionem argumento est epistola sexta Eginhardi abbatis d) inscripta *dilectissimis in Christo fratribus et devotis Christi famulis Egilolfo et HUMBERTO*, penes quos tunc vacante sede Wirceburgensi temporalis eius administratio fuisse videtur, utpote a quibus petiit, ut Gerbertum, cui ad Eginhardi preces beneficium contulerat *bonæ memoriæ Wolfgarius episcopus*, illud habere permittant, *sicut modo habuit, usque dum in hac sede episcopus fuerit ordinatus*. Fluxere fane duo fere menses, ut

a) Vid. Eccardus T. II. p. 259.

b) Annal. T. VII. p. 357.

c) Annal. T. II. p. 454.

d) Du Chesne Script. Franc. T. II. p. 696.

vidimus, donec Wolfgario datus est successor HUBERTUS, quem eundem esse arbitramur, paullo post datas illas litteras constitutum. Hunc an. 835. comitiis apud Theodonis villam adfuisse testis est Hincmarus *a*), et in synodo Carisiacensi an. 837. *b*) subscribitur HUBERTUS *humilis episcopus*. Eodem anno per Drogonem Metensem a Ludovico Pio obtinuit confirmationem privilegii, quod Carolus M. Bernwelfo episcopo super quibusdam ecclesie sue rebus concesserat *c*). Idem imperator a. 840. monasterio, quod dicitur Wirciburg, confirmat possessiones in villa Imminestat in pago Walzazi a Bernhardo comite donatas *d*). In Msc. Bedæ martyrologio sec. IX. HUBERTUS ecclesiam in Ochsonofurt dedicasse legitur III. Kal. Nov. seu 30. Oct. quæ a. 841. erat dominica.

XIII. In vita Rhabani a Rudolfo discipulo scripta *e*) hæc notantur: *Vir venerabilis Rhabanus abbas (Fuldensis) HUBERTUM Wirzburgensis ecclesie episcopum invitavit ad monasterium, quod Holzkiricha vocatur, et quia ad eius diocesin locus pertinebat, cum illius auctoritate ossa SS. Martyrum Ianuarii et Magni venerabiliter ibi in arca saxea ad orientem altaris collocavit VIII. Kal. Nov. a. 837. aut sequente. Obiter hic observo morem satis antiquum, quo Reliquiæ ab Ordinariis prius recognosci debebant, quam cultui exponerentur. Ibidem quoque *f*) idem Rhabanus cum auctoritate HUBERTI ossa B. Cæcilie virginis et aliorum ecclesie Ratestorf intulisse dicitur. Extant apud Bollandianos ad diem 15. Iul. *g*) acta S. Reginswindis, ubi pluribus narratur, qua ratione Deo amabilis Herbipolensis episcopus HUBERTUS ex divina admonitione novam ecclesiam Lauffæ ad Nicrum a se ædificatam III. id. Iulii, aut iuxta alios die 15. eiusdem mensis consecravit, atque in eam huius Sanctæ corpus collocavit. Annus haud exprimitur, quum vero ecclesiarum dedicationes tunc plerumque dominicis aut festis diebus fierent, sequitur, id anno 833. aut 837. contigisse, in quorum primo dies 13. Iulii, in altero dies 15. huius mensis dominica erat. Ultimo potius esse inhærendum suadet cultus, qui Sanctæ in diocesi Wirceburgensi eadem die 15. adhuc impenditur.*

XIV. Laudatus porro Rhabanus, referente eodem vitæ scriptore, *rogatu episcoporum, Fricholfi scilicet, Fridurichi et HUBERTI scripsit in Octoteuchum commentariorum libros XXIX. Fridericus is est Ultraiectensis episcopus, an. 838. XV. Kal. Aug. martyrium passus, cui etiam expositionem suam in librum Iosue inscripsit Rhabanus, ut testatur operis præfatio a Mabillonio *h*) edita. Mortuo Friderico*

a) Libro post. adv. Godescal. c. 36. *b*) Baluz. misc. L. III. c. 50. *c*) Eccard. T. II. p. 884. *d*) L. c. p. 886.
e) Mabill. sec. IV. P. II. p. 15. *f*) Pag. 17. *g*) T. IV. Iul. p. 90. *h*) Sec. IV. P. II. p. 33, 37. et 42.

Rhabanus commentationes suas in libros Iudicum et Ruth HUBERTO Wirceburgensi episcopo nuncupavit, inter alia in præfatione promittens, se eidem quoque submissurum Iesu Nave expositionem, quam *bonæ memoriæ Friderico Traiectensis ecclesiæ episcopo nuper* transmiserat. Unde recte infert Mabillonius *a)* contra Cointium, Fridericum recens fuisse extinctum, eique adeo supervixisse HUBERTUM, cuius ad Rhabanum epistola præfixa est dicto in librum Iudicum commentario. Hac de re agit quoque Eccardus *b)*, perinde ac *c)* de alia Rhabani ad HUBERTUM nostrum epistola, qui illum de gradibus consanguinitatis in connubio prohibitis consuluerat. Atque hinc manifestum fit, HUBERTUM et litterarum et litteratorum cultorem fuisse insignem, cuius opera plures codices esse transcriptos, residui adhuc veteres bibliothecæ cathedralis libri testantur.

XV. Annales Wirceburgenses a Baluzio editi eius obitum his verbis consignant: *DCCCXLII. HUBERTUS episcopus Wirceburg obiit VII. idus Martii. Sedit annos X, menses III, dies VIII.* quibus cæteri fere catalogi consentiunt. A die tamen 31. Dec. electionis usque ad 9. Martii emortualem duo tantum menses fluunt, ut adeo vel unarius hic abundet, vel electio ad d. 1. Dec. reiicienda sit. Neque hic, ut prius, tempus à morte antecessoris supputatur, alias menses IV. dies IV. prodirent.

VIII.

GOZBALDUS.

Ab anno 842. usque 855.

XVI. GOZBALDUS seu GOTTWALDUS comes Hennebergensis, si Frisio fides, Megingaudi episcopi Wirceburgensis ex forore nepos erat, in cuius disciplina educatus cum eodem post resignationem in Neostadiense monasterium recessit, abbas ibi etiam factus. Testatur id inter alia Ottonis III. imp. diploma an. 993. Neostadiensi cœnobio datum, ubi Berewardus episcopus Herbipolensis imperatori retulisse dicitur, quod illud *in augmentum dignitatis sue duos quoque episcopos Wirceburgensis ecclesiæ Megengaudum et GOZBALDUM procuratores et abbates habuerit d)*. Atque ut talis, GOZBALDUS ecclesiam in Ochsenfurt ædificasse videtur, ab Humberto

a) Annal. T. II. p. 603. *b)* T. II. p. 313. *c)* Pag. 358. *d)* Leuckfeld antiquit. Pœld. p. 248.

episcopo, ut vidimus, circa a. 841. consecratam. Eccardo autem *a)* assentiri haud possumus, dum ad hunc ipsum GOZBALDUM refert placitum Ludovici Pii in conventu Noviomagensi a. 834. d. 14. Iun. Rhabano abbati Fuldensi datum, quo GOZBERTUS, seu GOZBALDUS, ut ex sequentibus liquet, eidem reddere iussus est, quod ei iniuste abstulerat. Hæc restitutio eodem anno d. 10. Iul. facta est ab advocato GOZBALDI, qui advocato Rhabani reddidit, *quidquid præfatus GOZBALDUS et fratres eius de potestate S. Bonifacii iniuste abstulerunt in Kinzinhero-marca b)*, id enim potius alii potenti laico eiusque fratribus, quam abbati et eius monachis congruit.

XVII. Illo certe tempore haud Neostadiensis amplius, sed Altahæ inferioris in Bavaria, longius a Fuldensi territorio dissita, abbas erat GOZBALDUS, eidem a Germaniæ rege Ludovico præfectus. Constat id ex eiusdem regis diplomate *c)*, dato pridie Non. Oct. anno XVII. regalis imperii Ludovici Aug. anno V. regni sui, indict. IX. in quo *vir venerabilis GOZBALDUS sacri palatii nostri summus capellanus et abbas monasterii, quod dicitur Altaha*, appellatur. Cointius *d)* id recte ad annum 830. refert, quo in Octobri iam currebat indictio IX. Illi tamen haud largimur, dum GOZBALDUM *e)* iam an. 823. ibi abbatem fuisse asserit, ideo, quod talis notetur in alio eiusdem Ludovici regis diplomate ipsi dato XV. Kal. Sept. anno VII. regni Ludovici regis in Orientali Franciâ, indictione IV. *f)*. Instrumentum enim istud non ad annum 823, sed ad an. 841. pertinet, quum anni regni Ludovici non simpliciter ab anno 817. ceu prima epocha, sed a regno in Orientali Francia seu a. 834. computentur, quod etiam indictio IV. prodit, quæ posteriori, non autem priori anno competit.

XVIII. Tantus igitur apud Ludovicum regem quum esset GOZBALDUS, mirum haud est, eum mox anno sequente 842. vacanti sedi Wirceburgensi die 1. April. ab illo fuisse impositum. Factus episcopus abbatiam saltem Altahensem retinuit, ut probat Ludovici regis diploma, quo ei iam episcopo facultatem concedit, ut dicti monasterii fratres post illius obitum alium sibi abbatem eligere libere valeant *g)*. In altero quoque a. 851. *h)* rector monasterii Altaha nuncupatur. Quæ porro in episcopatu gesserit, pauca admodum notata reperi. Inter provinciales episcopos in concilio Moguntino a. 837. a Rhabano metropolita congregatos

a) T. II. p. 309. *b)* Schannat. trad. Fuld. p. 172. *c)* Hund metrop. Salisburg. T. II. p. 9. n. 6.
d) Annal. T. VIII. p. 151. *e)* T. VII. p. 668. *f)* Hund loc. cit. p. 8. n. 4.
g) Hund l. c. p. 8. et Monum. Boic. vol. XI. p. 112. *h)* LL. cc.

secundo loco ponitur *Egorbaldus* feu *Egobaldus*, qui alius esse haud potuit, quam *GOZBALDUS* noster *a*). Fervente id temporis causa *Godescalci GOZBALDUS*, ut se suosque in vera doctrina firmaret, in eorum usum conscribi curavit varias Patrum, *Prosperi* præcipue, lucubrationes de gratia et libero arbitrio, qui codex adhucdum in bibliotheca cathedrali asservari dicitur *b*).

Erat tunc temporis *Theodrada* *Caroli M.* filia ex *Fastrada* coniuge, *Ludovici* regis amita, abbatissa parthenonis *Schwarzacensis* in *Franconia*, quem illa cum omnibus bonis eius ecclesiæ *Wirceburgensi* et *GOZBALDO* eius episcopo tradidit, pactis quibusdam conditionibus. Ratum id habuit idem rex *Ludovicus* charta data an. 851, et alia an. 857. sub *Arnone GOZBALDI* successore *c*). Quæ autem consecuta sint, paullo infra *N. XXII.* dicemus. Denique idem *Ludovicus* rex avus *Arnulfi* regis omnia antecessorum privilegia ecclesiæ *Wirceburgensi* ob ecclesias *Slavicas* concessa confirmavit rogatu et deprecatione *GOZBALDI venerabilis episcopi*, ut loquitur *Arnulfus* in suo diplomate a. 889. *d*).

XIX. Ultimum regiminis annum fat sibi suæque ecclesiæ funestum expertus est *GOZBALDUS*, de quo *annales Fuldenses e*) hæc ad annum 855. habent: *Fulminum ictibus ædes plurimæ crematæ sunt, inter quas basilica S. Chilianî martyris (Wirceburgensis scilicet cathedralis) Nonis Iuniis, clero laudes vespertinas celebrante, repentino ictu percussa et succensa est: et mirum in modum sub laquearibus domus ignis pendulus inlæsa materia tamdiu oberrabat, donec ossa S. Martyris et totius ecclesiæ thesaurus efferretur inlæsus. Clericorum quoque nonnulli fulmine tacti inlæsis vestibus per diversa membrorum loca graves combusturas habuisse reperti sunt . . . Sequentis vero mensis die octavâ, instante solemnitate natalis eiusdem Martyris, muros ecclesiæ, quos prius cælestis non consumsit ignis, subito terribilis exorta tempestas funditus evertit. Quam ruinam mors episcopi GOZBALDI subsequuta est, qui tertio dehinc mense, id est, XII. Kal. Oct. præsentem vitam finiens, Harnum discipulum suum sibi successorem reliquit. Mortem hanc ob dictum incendium ac grave simul senium acceleratam ad eundem diem et annum plerique assignant, post episcopatus annos XIII, menses V, dies XVIII. ab eius institutione computatos. Narrat *Spangenberg f*), canonicos tantopere exinde fuisse consternatos, ut nonnisi post decem hebdomadas successorem ei dare potuerint: si tamen illum ex electione, et non potius ex *Ludovici* regis nominatione acceperint.*

a) Concil. Germ. T. II. p. 152.

b) Eccard. T. II. p. 398.

c) Eccard. T. II. p. 412. et 887.

d) Eccard. T. II. p. 895.

e) Du Chesne Script. T. II. p. 553.

f) Chron. Henneberg. p. 49.

IX.

S. ARNO.

Ab anno 855. usque 892.

XX. ARNO, Arnus, Harnus, Arnoldus nomina sunt, quæ eundem indicant Gozibaldi in fede Wirceburgensi successorem, quem Ludovicus rex d. 29. Nov. a. 855. substituit. Antecessoris sui discipulum dicunt citati annales, ut dubium adeo sit, monachusne an canonicus fuerit. Æque incertum est, cur comes ad Endsee vulgo appelletur. Pontificatum a piis operibus auspiciatus combustam S. Kiliani basilicam de novo excitavit, de quo ita Ditmarus Merseburgensis a): *ARNUS episcopus sanctæ Wirzeburgensis ecclesiæ nonus in diebus officii suimet in urbe Wirzeburgensi unum Domino templum, et in episcopatu suo ad instar eiusdem ecclesias novem fecit. Et quum maximam harum benediceret, et reliquæ Christi martyris Kiliani circumferrentur, Dominus per eum septuaginta operatus est miracula.* Subdit postea de ARNONE: *Quante autem virtutis supra memoratus præsul fuisset, filo comprehendere nequam sufficio, sed hunc apud Dominum magni esse meriti ex corde credo.*

XXI. Convocaverat Carolus II. Episc. Mog. circa an. 860. provinciæ suæ concilium Moguntiam ob gradus consanguinitatis in matrimoniis, de quibus Nicolaum papam consuluit. Superest eiusdem papæ responsoria b) ad illius provinciæ episcopos, quos inter numeratur etiam ARN, quem Martene perperam confudit cum Arnulpho Metensi, qui ad regnum Ludovici Germanici haud pertinuit. Alia synodus Moguntix fuit habita an. 888. occasione Arnulfi novi regis et disciplinæ ecclesiasticæ propter incursiones Normannorum reformandæ c), in qua cap. 8. hæc habentur: *Ad aures sanctæ synodi ARNO venerabilis Wirzeburgensis ecclesiæ episcopus se reclamavit, quod quidam scelesti quemdam honorabilem presbyterum suum comprehendissent, eique nares abscidissent etc.* quibus debitam quoque pœnam canonicam inflixit eadem synodus, in cuius subscriptione vocatur ARNOLDUS *Wirzeburgensis ecclesiæ episcopus*, ex corrupto scilicet codice.

a) Leibnit. Script. Brunsvic. T. I. p. 324.

b) Martene collect. T. I. p. 149. et conc. Germ. T. II. p. 698.

c) Labb. concil. T. IX. p. 401. et concil. Germ. T. II. p. 568.

XXII. Schwarzacensem parthenonem ecclesiæ Wirceburgensi a Theodrada fuisse traditum paullo ante N. XVIII. diximus. Huic Hildegarda Ludovici regis filia successit, quæ ab ARNONE episcopo eiusque clero obtinuit, ut monasterium istud Berthæ forori suæ ad dies vitæ sub annuo censu decem solidorum concederetur, post eius mortem ad ecclesiam Wirceburgensem rediturum. Diploma Ludovici regis idipsum confirmantis sistit Eccardus a) in comitiis Wormatiensibus datum a. 857. Abbatiam hanc quoque mortua sua forore possedit Bertha a. 859, uti et Turicensem in Helvetia, ubi etiam obiisse creditur, et quidem iuxta annales Weingartenses a. 877, quo ARNO episcopus *Wirzburgensis anno regiminis sui 25.* (melius 22.) *monasterium Schwarzachianum post mortem Hildegardis eiusque fororis Berthæ a rege Ludovico II. in perpetuum ius et potestatem S. Chilianii accepit*, ut scribit Bruschius. Deficientibus igitur in Schwarzacensi parthenone monialibus monachi ex cœnobio Megingaudeshausen ab ARNONE episcopo immissi sunt, ut suo loco dicemus.

XXIII. Iam antea vero, scilicet a. 871. mense Octobri, Ludovicus rex contra Bohemos irruptionem in regnum suum molientes, tutores partium suarum misit, ARNUM videlicet episcopum et Ruodoldum comitem, aliosque cum eis, ut habent annales Fuldenses ad h. a. quos etiam victores rediisse perhibent; non item ex altera expeditione anno sequente contra Moravos suscepta, quam pariter ARNO cum Sigehardo abbate Fuldensi duxerat b). Anno 884. Henricus comes et ARNO episcopus cum valida Francorum Orientalium manu contra Normannos missi eos profligarunt et Duisburgo expulerunt, ut memorat supplementum Lambecianum. His aliisque servitiis regum favorem promeruit ARNO, unde a Carolo Crasso imp. a. 883. bona quædam ecclesiæ suæ donata accepit; cuius diploma sistit Eccardus c), perinde ac alia quatuor Arnulfi regis a. 889. rogatu ARNONIS episcopi data, quorum primo confirmat immunitatem ecclesiæ Wirceburgensis; altero capellas cum dote illarum; tertio ecclesias Slavicas inter Mœnum et Radantiam sitas; quarto decimam tributû ex Francia Orientali: quæ omnia iam antea a Carolomanno, Pipino ac sequentibus regibus ecclesiæ huic concessa fuerant.

XXIV. Quum igitur pro spiritali æque ac temporali ecclesiæ suæ emolumento ac publica patriæ securitate per 36. annos strenue adlaborasset ARNT *Wirzburgensis ecclesiæ venerabilis episcopus*, hortatu et suasionem Popponis Thuringorum ducis ad pugnam

a) T. II. p. 456. et 887.

b) Schannat prob. hist. Fuld. p. 18.

c) T. II. p. 890. seqq.

contra Slavos profectus, in eadem pugna occiditur, ut scribit Regino ad an. 892 a). Episcopi enim pro temporum illorum more ob regalia ecclesie sue, quae a regibus tenebant, cum suis ad militiam, maxime contra paganos, evocati, non ipsi cum hoste confligebant, sed milites suos pugnantes *adhortationibus atque doctrinis confortabant atque instruebant*, ut de Remberto Archiep. Bremensi notat Adamus Brem. L. I. c. 35. Sed rem audire iuvat ex Ditmaro Merseburgensi b), qui mortis huius circumstantias clarius edisserens, *non longe, inquit, ab amne Caminzi (unde Dalemincii) in pago Chutizi dicto, ARNUS episcopus sanctae Wirzeburgensis ecclesie nonus, quum ab expeditione Boiemorum reversus iuxta plateam in parte septentrionali fixo super unum collem suimet tentorio Missam caneret, hostili circumvallatus agmine, praemissisque omnibus per martyrium suimet cum sociis semetipsum obtulit Deo Patri DCCCXCII. Dominica incarnationis anno, temporibus Arnolphi imperatoris, cum oblationibus consecratis in sacrificium laudis: ubi hodie saepe accensa videntur luminaria, et sanctos Domini martyres hos esse nec Slavi dubitant.* Eadem paucioribus habent Urspergensis in chronico, et chronicon Vetro-Cellense c), sed perperam ad annum 889. Chronicon Baluzianum: DCCCXCI. ARN Wirziburg episcopus in Saxonia occisus est inter Missarum solemnia. Caeteri fere omnes mortis annum 892. statuunt recte omnino, si enim anni 36, ac menses septem, quibus praefuisse dicitur, computentur a die 29. Nov. an. 855. quo eum episcopum constitutum esse diximus, prodibit annus emortualis 892. et mensis Iunius, quem notat necrologium Fuldense: DCCCXCII. ARN episcopus VII. Kal. Iulii seu die 25. Innii. Inscriptio tamen in muri lapide habet III. idus Iulii ARN episcopus, qui foret dies 13. Iulii. Sed primum de die obitus intelligendum esse existimo, alterum de die depositionis, quo nempe corpus eius e loco martyrii Wirceburgum allatum in ecclesia cathedrali ad altare SS. Petri et Pauli conditum fuit. Locum autem huius caedis apud oppidum Franckenberg in sinistra Chemuicii amnis quaerit Eccardus d), ab ipsa hac Francorum clade denominatum.

XXV. Recentiores ARNONEM SS. Martyribus adnumerant, eodem nimirum iure, quo Theodericus Mindensis et Marquardus Hildesiensis similiter in militia a paganis Normannis occisi inter sanctos Ebbeckestorfenses cultum meruerunt e); uti et Sunderoldus Archiep. Moguntinus in praelio contra eosdem Normannos an. 891. occumbens, sanctus et Martyr IV. Kal. Iul. in necrologio Moguntino f) notatur. ARNONI tamen aliquem cultum publicum in sua ecclesia aut olim fuisse delatum, aut hodieque impendi, nullo monumento proditur: quae ipsa causa fuit,

a) Pist. Script. T. I. p. 94. b) Leibnit. Script. Brunsvic. T. I. p. 324. c) Mencken Script. T. II. p. 435.
d) T. II. p. 730. e) T. I. Febr. Bolland. p. 309. f) Schannat vind. litt. coll. I. p. 3.

cur focii Bollandiani illum dumtaxat in prætermissorum catalogum ad d. 13. Iulii a) actis suis inseruerint b).

X.

RUDOLPHUS SEU RODULPHUS.

Ab anno 892. usque 908.

XXVI. Arnonis cathedram RODULPHUS, licet nobilis, stultissimus tamen, frater Cunradi et Geberhardi comitum obtinuit, et ei in episcopatu successit. Durum alioquin hoc Reginonis testimonium eventus comprobavit. Filius erat Werinheri, qui teste Ekkehardo de casibus S. Galli L. I. c. 1. c) Franciam ceu cameræ nuntius aut dux procurabat cum Adalperto (pro quo ibi perperam ad alpes legitur), quorum hic capite plexus, alter morbo obiit. Ambæ hæ familiæ deinceps in Francia Orientali potentissimæ fuerunt, atque inter se de principatu decertabant, Adalberti nimirum et fratrum eius, ac Werinheri eiusque filiorum, RUDOLPHI scilicet nostri, Geberhardi et Conradi, qui Conradi I. regis pater extitit, cuius adeo episcopus patruus erat. Rem paucis enarrat idem Regino ad an. 897: *Ea tempestate inter RUDOLPHUM episcopum Wirceburgensem et filios Heinrici ducis (patris scilicet Adalberti) magna discordiarum lis et implacabilis odiorum controversia oritur: et dum de nobilitate carnis, de parentum numerosa multitudine, de magnitudine terrenæ potestatis ultra quam deceat se extollunt, in mutuis cadibus prorumpunt . . . et regiones illis subdite rapinis et incendiis solotenus devastantur.* Fusius deinceps ista prosequitur ad annum 902. et 903, quod Adalbertus adversarium suum RUDOLPHUM episcopum de Wirceburgensi ecclesia fugavit, et res ac possessiones dictæ ecclesiæ crudelissime depopulatus est. Quo ipso RUDOLPHUS hisce familiæ suæ tricis sese ingerens, propriæ suæ ecclesiæ maxima damna intulit. Sed enim istud corrupti hoc et sequentibus seculis nonnullorum quoque ecclesiasticorum principum mores ferebant.

XXVII. Uti autem plerumque sub episcopo milite neglectæ iacent res ecclesiæ, ita et huius RUDOLPHI pauca gesta sacra innotuerunt. Subscriptus legitur concilio Triburiensi an. 895. ab Arnulfo imp. convocato d). Browerus in annalibus

a) T. III. Iul. p. 472. b) Vid. Calles annal. eccl. T. III. p. 715. seqq. c) Goldast. Script. T. I. P. I. p. 15.

d) Concil. Germ. T. II. p. 408.

Trevirensibus *a*) agens de fundatione Wezlariensis ecclesie, eam Ratbodi Archiep. Trevirensis, in cuius diocesi sita erat, voluntate a Wirceburgensi episcopo RUDOLPHO anno 897. esse dedicatam scribit, dum casu illis in locis degeret, ac Gebehardi comitis precibus studium atque operam suam detulisset. Erat is cum fratre Udone fundator dictæ ecclesie, quos RUDOLPHI episcopi patruos fuisse suspicatur Eccardus *b*). Adalberto comite, per quem sede pulsus fuerat, a Ludovico rege proscripto, ac bonis regio fisco addictis, RUDOLPHUS quædam ex illis pro ecclesia sua obtinuit dato diplomate VII. id. Iul. an. 903. *c*).

XXVIII. Extat apud Canisium *d*) Salomonis episcopi Constantiensis carmen de intestinis in Franconia motibus, ubi *vocatus presul* haud alius est, ac RUDOLPHUS noster. Quievit tandem turbulentus hic et sagatus episcopus an. 908. III. id. (al. Non.) Aug. post annos XVII. et dies duos regiminis, iuxta chronicon Baluzianum, quod mortem antecessoris ad an. 891. retulit, unde etiam varius eius annorum computus oritur in catalogis. Quodsi duo aut tres dies ab Egilwardo consignati annos episcopatus excedentes veri sint, RUDOLPHUS d. 3. Aug. a. 908. defunctus, die 31. Iul. a. 892. episcopus fieri debuit, et sic nonnisi XVI. annis cum aliquot diebus præfuisset: quod tempus ei quoque tribuitur in tertio catalogo Groppii *e*): quem sinceriores iudicamus, quum ab eo absit Dracholfus prætensus eius successor, quem cæteri exhibent.

XXIX. De Dracholfo ita scribit Trithemius in libro de origine Francorum *f*): post Rudolphum DRACOLFUS *presul et dux Francorum præfuit annis V, mensibus IV. Hic missus a Conrado imperatore primo in Græciam, obiit in itinere anno Domini DCCCCXIII.* Lapsus hic vero est Trithemius, et duobus seculis aberravit, qui enim a Conrado III. (non I. de cuius missione Constantinopolim ne unus quidem scriptorum meminit) in Græciam missus et ibi a. 1146. defunctus est, Embrico episcopus erat, ut suo loco videbimus. Ante eum vero Bernwardus episcopus pariter illuc ablegatus, sed ab Ottone III, similiter in itinere succubuit an. 995. Alios vero Herbipolenses antistites illuc fuisse missos hucusque haud legimus. Ad figmenta igitur pertinet Trithemii narratio, cui nec Egilwardus horum temporum vicinior suffragatur, nec cæteri catalogi, qui etsi Dracholfum in numero episcoporum reponant, tamen menses duntaxat quatuor cum aliquot diebus ei tribuunt. Huius vero commenti falsitas tam ex anno emortuali Rudolphi supra asserto, quam ex

a) T. I. p. 439. *b*) T. II. p. 774. *c*) Eccard. I. c. p. 804. et 897. *d*) Lect. antiq. T. II. P. III. p. 241. nov. edit. *e*) Script. Wirceb. T. I. p. 817. *f*) Ludewig Script. Wirceb. p. 1028.

mox in successore dicendis patebit. Eius origo repetenda videtur ex male intellecto Conradi I. regis privilegio an. 912. quo *Dracholfo egregio pontifici* donat quædam bona in pago Ipfigewe in Franconia et diœcesi Wirceburgensi a), unde illum Wirceburgensem pariter episcopum fuisse putarunt recentiores scriptores. Totam autem controversiam dirimit chronicon monasterii Schwarzacensis b), ubi eiusdem regis præceptum habetur anno 918. datum, quo permittit *fideli episcopo suo Dracholfo*, ut ad cænobium Schwarzaha traderet loca quadam suæ proprietatis, et vicissim alia ab eo reciperet. Wirceburgensi autem ecclesiæ iam anno 911. DIETONEM præfuisse paulo infra dicemus. Episcopus igitur fuerit *Dracholfus*, sed nequaquam Wirceburgensis, verum Frisingensis a. 907. ex abbate electus episcopus, de quo plura Meichelbeck in historia Frisingensi c), quamvis nullam dignitatis abbatialis mentionem ingerat, ipsi forte incognitæ. De eo plura infra in monasterio Schwarzacensi.

SECULUM X.

XI.

DIETHO VEL THIETO.

Ab anno 908. usque 931.

I. **DIETHO** ex comitibus Castellensibus immediatus Rudolphi successor, ex monasterio Neostadiensi, ubi monachus fuerit, a Conrado rege assumptus dicitur Frisio, aliisque. Id vero a rege Ludovico Infante fieri debuit, quum Conradus demum post triennium ad regnum pervenerit. Infausta habuit regiminis sui primordia; altero enim mox anno Hunni seu Hungari in Germaniam excurrentes civitatem Wirceburgum expugnarunt, et totam Franconiam rapinis, incendiis ac cædibus depopulati sunt. Pertinet hoc ad annum 910, quo, teste Reginonis continuatore, *Franci in consinibus Bavariæ et Franciæ Hungaris congressi miserabiliter aut victi aut fugati sunt.* Anno sequente DIETHO munificum expertus est Conradum I. regem, qui ad eius preces quasdam iuris sui res monasterio S. Gumberti in Onoldespach concessit, et DIOTONI *egregio præsuli* tradidit, diplomate d. 29. Oct. a. 911. dato, quod exhibet Eccardus d), uti et alia duo eiusdem regis præcepta anni 915, quorum primo ad petitionem THIODONIS episcopi privilegia a suis

a) Eccard. T. II. p. 900. b) L. c. p. 821. c) T. I. p. 157. d) T. II. p. 899. seqq.

antecessoribus Wircebursensi ecclesie indulta confirmat; altero Albuino episcopi vasallo locum Sulzifelt largitur.

II. Anno 922. THIEDO numeratur inter octo episcopos, qui sub Heinrico Aucupe synodum apud Confluentiam celebrarunt *a*). Eodem anno ecclesia S. Kiliani seu domus Salvatoris Wircebursi ante annos 68. sub Gozbaldo episcopo fulmine in cineres redacta, interim autem restituta, rursus incendio conflagravit cum omnibus priorum caesarum ac regum chartis, quas proin DIETHO ab Henrico I. rege an. 923. d. 7. April. renovari petiit ac obtinuit. Inde forte originem habent sphalmata in antiquioribus huius ecclesie documentis observanda, quae Eccardus tantopere exagitavit, ut omnem prorsus fidem eis denegaret, prout hinc inde notavimus, illaque quantum licuit vindicavimus. DIETHONIS obitum omnes ad annum 932. consignant d. 15. Oct. aut Nov. Nos illum ad annum priorem referendum censemus, ob rationes mox afferendas.

XII.

BURCHARDUS II.

Ab anno 931. usque 941.

III. BURCHARDUS comes de Hennenberg, antea abbas Hersfeldensis per tres fere annos, ob vitae innocentiam et morum sanctitatem ab Heinrico I. rege Diethoni suffectus est, ut scribit Frisius, lapsus tamen in nomine monasterii, dum pro Hersfeldensi Hirsaugiense substituit. Trithemius *b*) eum ab an. 929. tribus ferme annis abbatiae praefuisse scribit, illumque dilaudat ceu virum *tam in divinis scripturis quam secularibus litteris haud mediocriter doctum, moribus quoque non minus quam eruditione venerandum*. Mabillonius *c*) initium abbatialis eius regiminis ad an. 928. removet, quod per quatuor fere annos tenuerit: frustra tamen Trithemium arguit, quod ei decem abbatiae annos tribuat, contrarium enim mox vidimus, decem autem episcopatus annos numerat.

IV. Eius initium Frisius a d. 2. Dec. a. 932. auspiciatur, quae dies si non fallat, omnino anno 931. electus esse debuit, iam enim BURCHARDUS Wircebursensis

a) Concil. Germ. T. II. p. 599.

b) Annal. Hirs. T. I. p. 69, 71.

c) Annal. T. III. p. 386.

ecclesiæ episcopus notatur in concilio Erfordensi an. 932. Kalendis Iunii celebrato a). Quo item die et anno iam Meingozus post BURCHARDUM Hersfeldensis abbas notatur in diplomate Heinrici I. regis b). Huius præsulis acta præter ecclesiam cathedralem ab ipso restitutam nulla apud scriptores reperio.

V. Mortem eius ita refert chronicon Baluzianum: *Anno DCCCCXLI. iunior BURCHARDUS Wirceburg episcopus obiit VIII. Kal. Aprilis. Sedit annos IX. menses III. dies XXIII.* quem computum omnes fere sequuntur præter Frisium, qui octo tantum annos numerat cum prædictis diebus ac mensibus, quot nempe fluxerunt a die 2. Dec. anni 932. usque ad d. 25. Mart. a. 941. Nos novem annis inhæremus, quos plerique statuunt; unde mortem antecessoris et BURCHARDI nostri electionem ad an. 931. revocamus, quidquid alii scribant.

XIII.

POPPO L

Ab anno 941. usque 961.

VI. *Burchardo in pontificatu successit vir prudentissimus POPPO, ut habet Tritheimius c), qui teste Frisio ex illustri Burggraviorum Wirceburgensium familia oriundus, vir fuit in sacris et profanis litteris luculenter institutus, et Ottoni I. qui eum Wirceburgensi clero et populo patrem ordinavit, carissimus. Factum id dicitur decimo post decessoris obitum die, tertio Aprilis, quo forte ordinatus est, erat enim a. 941. sabbatum ante dominicam Passionis, quo ordinationes fieri solent. Pergit Frisius: Sub hoc schola, qua canonici tam nobilium quam cæterorum (ergo non omnes canonici nobiles erant) filii erudiebantur, multum florens, doctos et sapientes emisit discipulos: e quorum numero S. Wolfgangus postea Ratisbonensis episcopus, et Henricus POPPONIS germanus, deinde Trevirensis archiepiscopus, prodire. Quæ quidem firmantur ex vita S. Wolfgangi d), in qua pluribus enarratur, quomodo ipse ex schola Augiensi cum Henrico POPPONIS fratre Wirceburgum venerit, ubi episcopus quemdam Stephanum de Italia scholaris doctrinæ causa conduxit, qui omnibus ibidem discere cupientibus satisfacere possit.*

a) Conc. Germ. T. II. p. 601. b) Wenck hist. Hass. T. II. probat. p. 26. c) Annal. T. I. p. 80.

d) Mabill. sec. V. p. 813.

VII. Henricus a. 956. Trevirensi cathedræ præpositus ab Ottone I. rege illius propinquus fuisse traditur in Frodoardi chronico a). Genealogicum eius et POPPONIS nostri schema producit Eccardus b), ex quo constat, paternum eorundem proavum extitisse Henricum marchionem, Franciæ Orientalis ducem a. 886. defunctum; avum autem Henricum comitem a. 902. iuxta castrum Babenberg occisum, qui coniugem habuit Ottonis Saxoniae ducis filiam et sororem Henrici Aucupis, qui pater erat Ottonis I. Inde adeo POPPONIS cum Ottone propinquitas petenda est; Henricus enim comes ex sorore Henrici Aucupis genuit Ottonem comitem, patrem POPPONIS et Henrici: ex qua familia Hennenbergenses quoque comites prodire, qui Burggraviatum Wirceburgensem aliquamdiu tenuerunt.

VIII. In notis ad Frisium ista leguntur ex Saxone grammatico: POPPO præceptor S. Wolfgangi episcopus Herbipolensis doctissimus, illustris habetur, qui Danis prius Christum annuntiaverat. Ast hic duos Poppones fuisse confusos, patet ex Adamo Bremensi hist. eccl. L. II. c. 26. c), ubi Poppo ille Daniæ apostolus Slesvicensis episcopus dicitur, anno 1029. defunctus, de quo etiam legendus de Westphalen d). Distinguendi adeo veniunt tres Poppones, Wirceburgensis, Trevirensis et Slesvicensis, uti etiam tempore sunt discreti.

IX. Moris hucusque erat, ut episcopi Wirceburgenses non per electionem cleri ac votum populi iuxta functiones canonicas, sed ex denominatione cæsarum aut regum constituerentur. Verum POPPO mox primo ordinationis suæ anno ab Ottone I. pro suo clero obtinuit privilegium, eligendi inter se, quemcumque voluerint ad pastoralis officii regimen, addito præcepto, ut nullus successorum suorum alium eis, nisi quem ipsi elegerint, antistitem constituat. Diploma legitur in Lunigio e), datum idibus Dec. a. 941, in quo etiam ad eandem ecclesiam dat, quidquid in Northmarcha in pago Grapfelda proprietatis habuit. Cætera POPPONIS acta fere ignota sunt, nisi quod nomen eius in quibusdam sui temporis conciliis notetur, uti in Ingelheimensi a. 948. f), quod Trithemius g) male ad an. 950. reponit: in Augustano an. 952. h) in causa disciplinæ ecclesiasticæ celebrato; nec non in Ratisbonensi episcoporum conventu an. 961. i).

X. Eodem anno 961. POPPO Wirceburgensis episcopus regi percarus XVI. Kal. Martii diem clausit extremum, ut scribit Annalista Saxo, cui consentit necrologium

a) Du Chesne Script. T. II. p. 590. b) T. II. p. 813. c) Apud Lindenbrog p. 22. d) Antiq. Cimbr. T. III. p. 265. e) T. XX. p. 1016. f) Conc. Germ. T. II. p. 611. g) Annal. T. I. p. 89. h) Concil. I. c. p. 622. i) L. C. p. 626.

Fuldense. Chronicon Baluzianum ad h. a. BOBBO *Wirzibure episcopus obiit XV. Kal. Martii. Sedit annos XX. menses X. dies XIV.* Forte unus de obitus, alter de depositionis die intelligendus est. Ratisbonæ illum fuisse sepultum scribit Frisius, qui illi tantum XIX. pontificatus annos recte tribuit, quot nempe ab eius electione 3. April. a. 941. usque ad obitum d. 16. Febr. a. 961. fluxerunt, computatis simul decem mensibus et quatuordecim diebus.

XIV.

POPPO II.

Ab anno 961. usque 984.

XI. *M*ortuo Poppone canonici maioris ecclesie Herbipolensis vigore concessi ab imperatore privilegii pontificem super se constituerunt POPPONEM iuniorem, qui mox ordinatus profuit annis XX, mensibus IV, diebus XXI. a) Frisius electionem ad d. 2. Martii refert, factam quidem a canonicis, sed ad preces Ottonis I. imp. cuius cognatus erat hic Poppo, perinde ac antecessor eius patruus. Is Ottonem in Italiam secutus, anno 963. synodo Romanæ cum aliis Germaniæ episcopis interfuit, ubi Ioanni XII. papæ deposito suffectus est Leo VIII. b) Dum autem illum synodo eodem anno Moguntiam indictæ adstitisse scribit Trithemius, oppido fallitur. Cæteris enim scriptoribus incognita est hæc synodus, nec etiam celebrari potuisset, Ottone cum episcopis in Italia agente.

XII. Ab Ottone II. imp. varias donationes et privilegia accepit POPPO, scilicet a. 976. ecclesiam S. Martini apud Forcheim, an. 979. vicum Stockheim ceu feudum imperii, et a. 983. iura in villa Scheckbach in pago Salagewe, quæ diplomata ex archivo Wirceburgensi allegat Frisius. Numeratur etiam POPPO Herbipolensis episcopus inter illos præsules, quos Otto I. cen visitatores ad monasterium S. Galli in Helvetia destinavit, qui illius disciplinæ egregium testimonium dedit, uti refert Hepidannus in chronico ad an. 968, et Ekkehardus iunior de casibus S. Galli c). Verum id prius factum fuerit necesse est, quum Henricus archiepiscopus Trevirensis visitationis istius præses iam a. 964. in Ita-

a) Trith. annal. T. I. p. 103. b) L. c. p. 106. c) Concil. Germ. T. II. p. 644.

lia peste sublati sit. Unde dubium adhuc est, an de iuniore vel seniore POPPONE hic sermo sit. Rem porro in historia episcopatus Constantiensis discutimus; legendus interim Mabillonius a).

XIII. Iuxta chronicon Baluzianum anno 984. *iunior* POPPO *Wirzburgensis* episcopus obiit XI. Kal. Augusti. Sedit annos XXIII, menses IV. dies XXI, quos et Egilwardus habet, qui utpote temporibus istis vicinior dissentientibus aliis præferendus esse videtur. Saltem memoratum tempus a die 2. Mart. electionis a. 961. usque ad diem obitus 23. Iul. a. 984. fluxit.

XV.

HUGO.

Ab anno 984. usque 990.

XIV. **HUGO** ex comitibus Franciæ Orientalis, et defuncti Popponis cognatus, Ottoni II. imp. aliquamdiu a sacris, in Italia tum erat, ubi mors antecessoris Ottoni III. innotuit: a quo viduatæ cathedræ destinatus, et a Capitulo electus, d. 9. Febr. anni sequentis Wirzburgum venit, ut quidem rem narrat Frisius. *Hic*, ut ex Egilwardo Trithemius b) prosequitur, *quum omnibus esset gratus, et ad apicem pontificiæ sublimitatis dignitatisque valde idoneus, de reddenda ratione villicationis suæ semper sollicitus, inter cætera monasterium S. Andreae apostoli, quod beatus olim Burchardus episcopus sub monte in opposito civitatis Wirzburgensis circa Moganum construxerat c), negligentia Prælatorum in utroque statu pene collapsum suis impensis reformavit, et de consensu Benedicti papæ VII. corpus S. Burchardi ad ecclesiam eiusdem cænobii transtulit, et eundem locum decimis et possessionibus, quantum potuit, ampliavit. Ab illo deinceps tempore nomen prædicti cænobii mutatum est, et a reliquiis ac fundatore primo ad S. Burchardum vocatur.*

XV. Tempus equidem huius translationis haud satis determinavit Egilwardus, immo perplexum reddidit, dum eam consensu Benedicti VII. papæ factam dixit, qui iam a. 983. d. 10. Iul. obiit, ultra annum adhuc superstite Poppone iuniore HUGONIS antecessore. Verum responsio in promptu est: potuit Poppo adhuc

a) Annal. T. III. p. 592. seq.

b) Annal. T. I. p. 123.

c) Vid. supra p. 5.

petere hanc licentiam a Benedicto VII. interveniente tamen tam papæ, quam paullo post etiam episcopi morte effectui haud datam. HUGO interim electus et a. 985. Wirceburgum adveniens id demum executus est, forte etiam usus consensu novi pontificis Ioannis XVI. an. 985. constituti, cui alias prima canonizatio de S. Udalrico Augustano facta tribuitur. Quum vero certum annum haud determinet Egilwardus, factum hoc ad an. 986. referendum censemus. Ex eius enim testimonio habemus, ab HUGONE fuisse decretum; *ut deinceps quinta feria celebretur solemnitas eiusdem translationis*, quod Frisius aperte declarat, *feria quinta post festum S. Dionysii*, quod d. 9. Oct. peragitur. Quum igitur hodieque festum illud in diœcesi Herbipolensi ad diem 14. Oct. solemne sit, dies hæc anniversaria factæ translationis esse videtur. Quod autem feria quinta pro eius celebratione statuta sit, id haud alia de causa factum existimamus, quam quod prima translatio hæc ipsa feria, die 14. Oct. contigerit, fecus enim ratio nulla foret, cur præcise quinta, et non alia quælibet feria pro anniversaria statuere-tur, quamvis postea nulla habita ratione feriæ celebritas hæc annua diei 14. Oct. qua facta est translatio, fuerit affixa. Iam autem in brevi regimine HUGONIS episcopi nonnisi anno 986. dicta dies 14. Oct. in feriam quintam incidebat: ad quem adeo annum facta sit ista translatio necesse est. Quod vero festum S. Dionysii ceu terminus *a quo*, ut vocant, præfixum fuerit, ideo factum crediderim, quod in antiquis Calendariis ecclesiasticis illius temporis nonnisi unicum id festum fuerit notatum, a quo sequentes feriæ determinari possent, more scilicet in omnibus actis publicis passim observato.

XVI. Restituto itaque hoc monasterio, et monachis in eo collocatis, ut disciplina recens ibi instaurata floreret ac firma persisteret, litterarum quoque subsidia adhibere statuit HUGO. Scholis igitur in dicto cœnobio institutis ad illas regendas Arnoldum Hirsaugiensem monachum a Lupoldo abbate obtinuit, qui ibi docendo et scribendo magnam eruditionis gloriam acquisivit, ut asserit Trithemius a). Refert deinde ad annum 989, etiam Bernwardum ex Hirsaugia monachum, de quo mox plura dicemus, cum Arnolde huc fuisse missum, quem ab HUGONE constitutum Priorem, Arnoldum vero abbatem memorat Frisius. Plura dabimus infra P. II. de collegiata nunc S. Burchardi ecclesia acturi.

XVII. Post hæc aliave gesta, a scriptoribus haud adnotata, anno 990. Huc episcopus Wirziburg obiit IV. Kal. Sept. sedit annos VI. menses VII. dies XXVIII, ex

a) Loc. cit. p. 125.

chronico Baluziano, cui etiam Egilwardus consentit. Id vero regiminis tempus implicat, quod si etiam a morte antecessoris d. 23. Iul. a. 984. numeremus, prodibunt quidem sex anni, sed unicus tantum mensis cum sex diebus. Præferendus igitur Frisius et catalogus Gropplanus, qui pro sex annis quinque tantum statuunt. Retro autem numerando a die emortuali HUGONIS 29. Aug. a. 990, inueniemus diem 1. Ian. a. 985, qua forte electus aut ordinatus est, sequente die 9. Febr. Roma Wirceburgum appulsus: ex quo computo habemus iam pontificatus annos 5. menses 7. et dies 29.

Hic iam desinit Egilwardus de vita S. Burchardi, cui unice fuit propositum, ut illa enarraret, quæ ad illum usque ad eius translationem spectant; qua recensita filium suum abruptit, nequidem nomen successoris commemorando. Neque vero exinde sequitur, Egilwardum eo tempore seu seculo X. scripsisse, infra enim P. II. de ecclesia Gumberti Onoldina agentes palam faciemus, illum vix ante seculum XIII. illam S. Burchardi vitam exarasse.

XVI. BERNWARDUS.

Ab anno 990. usque 995.

XVIII. *P*ost Hugonem BERNWARDUS monachus in pontificatu Herbipolensis ecclesie successit. Hic monachus primo fuit cænobii S. Aurelii Hirsaugiensis sub Sigero abbate ad ordinem susceptus, genere nobilis ex Francia Orientali procreatus, ut scribit Trithemius a). Genus eius propius indicat Mabillonius b), dum illum fratrem dicit prænobilis Richardi comitis Rotemburgensis, Einhardi ac Ruggeri, qui instruendis novis et reparandis antiquis ecclesiis, iisque ditandis multas opes impenderant. Id saltem de eorum posteris constat, qui sequente seculo iam mediante Comburgense cænobium condiderunt ex castro cognomine, quod a Liutolfo Augustano episcopo an. 996. defuncto per concambium adquisivit Richardus Rotemburgensis comes BERNWARDI nostri Germanus c). Ipse vero BERNWARDUS, ut porro pergit Trithemius, sub magisterio præceptorum optime institutus in virum doctissimum

a) Annal. T. I. p. 154.

b) Annal. T. IV. p. 59.

c) Vid. Lucæ Grafensaal p. 1083, item infra

P. II. in ecclesie Comburgensis historia.

evasit, et non solum scientia scripturarum, verum et vitæ merito cunctis innotuit esse venerandus: unde etiam ab Hugone episcopo ad restauratum S. Burchardi cœnobium Herbipolim evocatus est, ut paullo ante memoravimus.

XIX. Genere igitur ac morum conversatione clero populoque acceptissimus, in episcopum electus est d. 2. Sept. a. 990, non solum intuitu cœlestis doctrinæ, sed etiam consideratione terrenæ potentix et familiæ, ex qua iam aliquot Herbipolis numerabat antistites, vir alioquin optimus, et qui verbo et exemplo pastorem se verum exhibuit. Addit porro idem Trithemius, quod Theodericus Floriacensis monachus duos libellos de consuetudinibus et statutis sui monasterii nuncupavit Domino sancto ac patri in Christo allectissimo episcoporum insigni BERNWARDO, quod de nostro Herbipolensi intelligit, perinde ac Rivetus a), ubi eorum iam iacturam deplorat, quos vero ad manus adhuc habuit Trithemius, qui simul causam familiaritatis inter utrumque hanc pandit, quod BERNWARDUS, dum adhuc iuvenis dispositione parentum scholas in Gallia peteret, Gerbertum virum doctissimum, postea Romanum pontificem habuerit præceptorem.

XX. De cæteris BERNWARDI in pontificatu gestis silent scriptores. Unus fere superest Frisius, qui in archivo Wirceburgensi abscondita quædam diplomata partim citat, partim pro more vernacule reddita profert. Horum primum est Ottonis III. imp. quo a. 993. ecclesiæ Wirceburgensi confirmat quinque monasteria, Neostadium nimirum, Hohenburg, Amorbach, Schluchtern et Murhardt, cum aliis immunitatibus. Illa iam Carolus M. S. Burchardo donasse dicitur in diplomate b), de quo plura infra in Neostadiensi monasterio. At S. Burchardo certe, qui iam a. 753. obiit, nihil negotii cum Carolo M. intercedere potuit, unde illud etiam Eccardus c) spurium declaravit. Suspico, donationem hanc, uti plures alias, a Carolomanno Pipini regis fratre, aut ab ipso Pipino fuisse factam, ac deinde a Carolo M. confirmatam, imperitia autem interpolatoris utramque et donationem et confirmationem in unam chartam conflata a. 923, quo Henricus I. rex veteres ecclesiæ Wirceburgensis chartas incendio perditas renovavit, uti supra N. II. dictum. Elucet id ex altero Ottonis III. diplomate, quo petente BERNWARDO d. 12. Dec. a. 993. Neostadiensi monasterio primum locum inter quinque superius recensita tribuit, illudque ecclesiæ Wirceburgensi confirmavit. Frisius illud germanice redditum exhibet, in quo duo alia diplomata a BERNWARDO producta memorat, unum Pipini, quo Burchardo

a) Hist. litt. Franc. T. VI. p. 550.

b) Lunig T. XVII. p. 933.

c) T. I. p. 707.

capellano suo ad preces Bonifacii quinque dicta loca donaverit, ut vitam monasticam ibi institueret: alterum Caroli M. quo dictam patris donationem ratam habuit.

XXI. Anno 995. Otto III. imp. BERNWARDUM et Ioannem Placentinum episcopum legatos cum litteris Constantinopolim misit ad Constantinum Porphyrogenitum Græcorum imperatorem, fratrem Theophaniæ matris suæ, ut eius filiam sponsam sibi deposcerent *a*). Verum in illo itinere BERNWARDUS episcopus *Verzeberg obiit in insula Eubœa, et sepelitur in monasterio, quod dicitur Politica, ut scribit Marianus Scotus ad h. a. b*), et annales Hildesienses, nec non chronicon Quedlinburgense *c*): BERNHARDUS *Wirzburgensis episcopus ecclesie, imperatoria legatione Constantinopolim missus, in Achaia provincia moritur.* Chronicon Baluzianum BERNWARDI mortem ut Marianus refert, et quidem ad XII. Kal. Oct. et ei annos V, menses VIII, dies XIX. tribuit, quot et cæteri catalogi habent. Sed a die 2. Sept. anno 990, quo electus est, usque ad 20. Sept. a. 995, quo obiit, fluxere quidem anni V. et dies XIX, nulli vero menses residui.

SECULUM XI.

XVII.

HENRICUS I.

Ab anno 995. usque 1018.

I. **B**ernwardo defuncto Otto III. imp. Heribertum, suum tunc cancellarium ac postea Coloniensem archiepiscopum, Wirceburgensi ecclesiæ præficere meditabatur, sed is enixius renitens germanum HENRICUM se iuniorem eligi et inungi obtinuit, ut narrat vitæ S. Heriberti scriptor *d*). Unde etiam utriusque fratris clarissimam Wormatiensium comitum prosapiam discimus, patrem nempe Hugonem ac matrem Tietwidem ex alto Alemanniæ comitum sanguine ortam. Frisius HENRICI patrem Richardum appellat comitem Rotenburgensem, ac fratrem Bernardi episcopi. Susplicari quis adeo posset, Hugonem quidem patrem extitisse Heriberti, cuius mater postea defuncto priore marito nupsertit Richardo, ex eoque

a) Annal. Saxo ad h. a.

b) Pistor. script. T. I. p. 647.

c) Mencken script. T. III. p. 187.

d) T. II. Mart. Bolland. p. 468.

HENRICUM nostrum procreavit, Heriberto, uti dictum, iuniorem, eius tamen fratrem uterinum, ut vocat Gallia christiana *a*); sed hæc genealogis. Utrumque fratrem ab Hildebaldo Wormatiensi episcopo cognato suo educatum scribit Frisius, quod de Heriberto ex eius vita constat.

II. Agente igitur Ottone III. cæsare electus est HENRICUS, singularis eruditionis, probitatis ac pietatis vir, die 24. Nov. quæ forte ceu dominica, ordinationis erat a. 995. Huius gesta hic damus, prout ea in scriptoribus et chartis notata deprehendimus. Primo mox regiminis anno 996. XVII. Kal. Oct. Otto III. HENRICO *sacrosanctæ Wirzburgensis ecclesiæ præsuli moribus et vita probatissimo*, sibique *ob sua merita carissimo* confirmavit omnes donationes et immunitates ab antecessoribus suis Carolo, Ludewico, Arnolfo, Conrado, Henrico, avo suo Ottone M. et patre Ottone ad ecclesiam S. Salvatoris factas. Diploma hoc datum in Ingelheim extat in analysi libri *Brevis notitia monasterii Ebracensis* p. 174. Alia adhuc habentur pleraque anecdota huius imperatoris diplomata in illius ecclesiæ favorem edita, in scriniis tamen follicite occlusa. Recitat unum Lunigius *b*) d. 1. Maii a. 1000, quo ius venandi in silvis Burgbernheim et Sultershusen concedit, de quo pluribus agit Frisius *c*). Altero e. a. d. 15. Maii curtem Salz cum appenditiis donat *d*). Tertium, quo d. 30. Maii e. a. duos comitatus Waldsachsen et Rangau dictæ ecclesiæ elargitur, vernacule tantum legitur apud Lunigium *e*) et Frisium. Hic idem aliud citat Romæ datum d. 18. Febr. a. 1001. de commutatione castrî et villæ Burgsin, quo anno episcopus noster cum Ottone in Italia præsens interfuit concilio Romano sub Silvestro II. papa, in causa ecclesiæ Gandersheimensis, ut liquet ex vita S. Bernwardi Hildesiensis episcopi *f*).

III. Qui Ottonem II. anno 1002. defunctum in regno excepit Henricus II. haud minus munificum se Wirceburgensi ecclesiæ exhibuit. Anno enim 1002. d. 10. Iul. (al. 10. Sept.) monasterium Seligenstat eidem concessit, nec non d. 21. Nov. villam Salza in pago Grapfeld, item villam Kirchheim, cum aliis bonis pro construendo Lauffensi cœnobio a. 1003. d. 25. Dec. quæ omnia Frisius ex chartis a se inspectis adnotavit. Intercessit vero paullo post haud levis regem inter et episcopum discordia. Meditabatur nempe iam antea Henricus rex in civitate sua Babenberg novum erigere episcopatum, ut scribit Ditmarus Merseburgensis *g*).

a) T. III. p. 652. *b*) T. XVII. p. 934. *c*) Pag. 447. *d*) Schannât Vind. litt. coll. II. p. 108. et Frisius vernacule. *e*) L. c. p. 935. *f*) Mabill. Act. SS. sec. VI. P. I. p. 215. *g*) L. VI. p. 383.

Quum vero hic comitatus partim Eichstadiensis, partim Wirceburgensis episcoporum iurisdictioni spirituali subesset, utriusque consensum exposcere necessum habuit. Consenserat HENRICUS episcopus eo pacto, ut ecclesia sua Wirceburgensis in novam Franconiæ metropolim erigeretur, subiectis sibi Eichstadiana et nova Bambergensi sedibus, verum spe sua frustratus promissis stare noluit. Quæ porro in synodo Francofordiensi desuper a. 1007. acta sunt, pluribus disquiri Calles *a)*, nosque in historia episcopatus Bambergensis, quorsum spectant, curatius examinabimus. Cessit tandem regis votis HENRICUS episcopus, ut partim iam in Prolegomenis N. XXXVII. diximus, inductus etiam eleganti ad eum Arnoldi episcopi Halberstadiensis epistola *b)*, ac suasu Heriberti Coloniensis archiepiscopi, fratris sui: quam sui ipsius victoriam ei litteris suis gratulatus est Ioannes patriarcha Aquilegiensis *c)*. Extat ibidem, sed mendis plena charta HENRICI episcopi de cessione iuris diœcesani in pago Radenzegewi et in parte pagi Volgfeld suis limitibus circumscripta, novoque episcopatu concessa, data an. 1008, indict. VI. Nonis Maii, quam integram exhibent Deductiones Bambergenses n. 12.

IV. Nec id sine fœnore præstitit episcopus, præter regis enim gratiam ab illo in compensationem urbem Meinungen eiusque marchiam cum villa Walddorff accepit, diplomate eodem die et anno dato *d)*. Frisius meminit alterius privilegii Henrici regis, quo episcopo an. 1009. d. 22. Oct. mercatum in Wertheim ad Tubarim indulsit. Anno 1012. IV. id. Sept. Francofurti rex episcopo confirmavit immunitatem hominum et rerum ecclesiæ S. Kiliani *e)*. Alia duo eiusdem regis diplomata latina exhibet Wenck *f)* data Francofurti a. 1013. d. 21. Iun. quorum unum continet eius concambium cum HENRICO episcopo, cui curtem Geraha in superiore pago Rinigowe tradidit pro ecclesiis in Halstat, Amelungestat et Sinselingen cum suis pertinentiis, quas episcopus ecclesiæ Bambergensi permisit. Altero ecclesiæ Wirceburgensi tradidit comitatum in Bezzungen ad curtem Geraha pertinentem. Frisius alterius donationis meminit eidem ecclesiæ factæ a. 1015. d. 20. Dec. de foresto in Hertbach. Apud Schannatum quoque *g)* extat præceptum Henrici II. imp. quo commutationem bonorum inter HENRICUM episcopum Wirceburgensem et Eberhardum Bambergensem confirmat d. 26. Oct. a. 1017. Lunigius *h)* aliud adhuc sistit, quo eodem anno HENRICO episcopo eiusque ecclesiæ confirmat possessiones et immunitates a prædecessoribus suis indultas.

a) Annal. eccl. T. V. p. 59. seqq. *b)* Baluzii miscell. L. IV. p. 435. et Ludewig Script. Bamb. p. 1113.

c) Lunig T. XVII. p. 937. *d)* Lunig loc. cit. p. 937. *e)* Censura brevis notitiæ p. 176.

f) Hist. Hass. T. I. prob. p. 4. seq. *g)* Vind. litt. coll. II. p. 109. *h)* T. VII. p. 324.

V. Wirceburgi hucusque nonnisi quinque extabant ecclesiæ; prima et antiquissima erat in Monte S. Mariæ; altera S. Andreæ, iam S. Burchardi monasterium; tertia parochialis S. Martini, deinde unita cathedrali, quæ quarta erat, S. Kiliani aut domus Salvatoris dicta; quinta oratorium ad sepulcrum S. Kiliani, a Richardo Rotenburgensi Bernwardi episcopi fratre nuper extractum. HENRICUS igitur episcopus, cui ampla ex parentum obitu hereditas obvenerat, bona illa ad Dei honorem et clericorum instructionem impensurus circa a. 1000. tres alias insignes basilicas construere cœpit. Prima fuit B. Ioannis Evangelistæ, *Novum monasterium* hodieque dictum, in loco, ubi olim antiqua cathedralis erat. Trithemio teste a) iam Einhardus alter Bernwardi episcopi frater et patruus HENRICI illam ecclesiam fundaverat, in qua *canonicos Deo servientes collocavit, quibus et de presentis vite necessariis providit, illam vero HENRICUS Bernwardi successor melius et elegantius construens ampliori providentia dotavit.* Alteram sub honore Dei genitricis, SS. Petri et Pauli ac S. Stephani protomartyris ædificavit, cui similiter canonicos imposuit, quibus an. 1057. alio locatis monachi successerunt, quæ hodie est S. Stephani familiæ Benedictinæ abbatia, olim in suburbio, nunc in ipsa civitate sita. Tertia fuit S. Ioannis Baptistæ in Haug seu Haugis in monte extra urbem, cum insigni canonicorum collegio; *quam multis prædiis et possessionibus pro servorum Dei sustentatione dotavit, necessariisque rebus ornavit ac libris, ac paramentis ad divinum cultum et fratrum canonicorum usum pertinentibus b).* De singulis plenius suo loco disseremus.

Sunt, qui cum Crusio c) ac Trithemio HENRICO nostro foundationem monasterii S. Gumberti in Onolzbach adscribant, quod rectius tamen de restauratione vel dotatione intelligendum esse, infra suo loco videbimus. Scribit quoque Frisius, se in veteri charta tabularii Wirceburgensis legisse, circa a. 1000. plura alia cœnobia fuisse condita, Cœliportam nimirum, Schönau, Frauenthal, Gnadenthal, Lauffen, Bueligheim, Birckenfeld, Seligenthal, et Liechtenstern: quod vero ferius fieri debuit, si illa iam ab initio Cisterciensem ordinem amplexa sint, de quibus infra sub Hermanno Ep. sec. XIII. N. XXI. In chronico Schwarzacensi d) extat diploma Henrici II. a. 1003, V. id. Febr. quo monasterium istud Wirceburgensi ecclesiæ de novo confirmat, cui quoque HENRICUS noster multa contulisse notatur. Occurrit is adhuc a. 1017, quo conventui in Lietzgo præfuisse legitur e).

a) Annal. T. I. p. 137.

b) Trith. I. c. p. 140.

c) Annal. P. II. L. V. c. 6.

d) Ludewig

Script. Germ. P. II. p. 14.

e) Concil. Germ. T. III. p. 48.

VI. Quum tot ac tanta pro ecclesiæ bono præstitisset HENRICUS, tandem obiit d. 14. Nov. an. 1018, vir, iuxta Trithemium a), magnificus et sempiterna memoria dignus, instaurator et fundator multarum ecclesiarum, cuius animam regnare cum Christo nullus fidelium dubitabit. Sepultus est in fundata a se Haugensi collegiata ecclesia, brachium vero dextrum, ut testamento caverat, ad S. Stephanum fuit delatum die 24. Nov. uti inferius in huius monasterii historia ad Heroldum abbatem notabitur. Chronicon Baluzianum HENRICO regiminis annos XXIII. menses V, dies XXII. assignat cum plerisque catalogis: qui quidem computus a d. 24. Oct. an. 995. institutus recte se habet, resecandi tamen sunt quinque menses residui, qui ei nulla ratione competere possunt. Denique in chronico Quedlinburgensi b) ad an. 1018. legitur: *Heribrach Wurzeburgensis episcopus obiit*, ubi nomen profecto corruptum est.

VII. HENRICUM ob parvam staturam HETZELINUM quoque fuisse appellatum Frisius narrat, quod ei nomen in uno Henrici II. diplomate tribui affirmat. Atque exinde profluxit nomen *Hetzel*, et depravatum ex codice male scripto aut lecto *Metzelinus*, unde alii *Meselinum* fabricarunt, novumque hoc nomine unius anni episcopum post Meginhardum intruserunt. Id vero erronee fuisse factum patet in primis ex actis synodi Theodoni-villanæ a. 1003. c), inter cuius episcopos numeratur quoque HEZEL *Wirceburgensis*; *Hezel* enim, *Hezilo* et *Henricus* Alemannis synonyma sunt. Inter episcopos, qui privilegio Henrici II. imp. pro ecclesia Romana an. 1014. subscripserunt d) legitur: *Ego Mazelinus* (al. *Matelinus*) *Wirceburgensis episcopus subscripsi*; ac forte ipse HENRICUS se *Hezelinum* ibi scripsit, unde scriptores Italici litterarum similitudine decepti, alii *Mazelinum*, *Meselinum* alii exsculpsere. Id faltem inde certum fit, quod *Hezel* et *Mazelinus* eo tempore *Wirceburgenses* episcopi notentur, quo absque controversia HENRICUS episcopus fuit; eadem ergo persona tribus hisce nominibus indicatur, quin alium invita chronologia fingere sit necesse. Nonnulla adhuc de hoc argumento dicenda recurrent post Ruggerum episcopum, cui alii *Hezelinum* substituunt. Apud Schannat e) in quadam notitia commutationis an. 1015. inter testes occurrit *Hetil Wirceburg. ep.* quod HENRICO nostro convenit; non item illud apud Wipponem in vita Conradi Salici f), quod tempore eius electionis a. 1024. *Wirceburgensi ecclesiæ* insederit *Marcelinus sapiens*, et in ecclesiasticis dignitatibus fidelis; tunc enim certo certius ibi præerat Meginhardus, uti mox videbimus: chartarum autem fidei nec synchroni quidem scriptoris assertio quidquam officere valet.

a) Annal. T. I. p. 159.

b) Mencken script. T. III. p. 196.

c) Concil. Germ. T. III. p. 29.

d) L. c. p. 47.

e) Hist. Fuld. cod. prob. p. 152.

f) Pistor. p. 423.

XVIII. MEINHARDUS I.

Ab anno 1018. usque 1034.

VIII. **M**EINHARDUS seu MEGINHARDUS ex comitum Rothenburgensium familia, antea regis consiliarius, eius ope die 2. Dec. an. 1018. cathedræ Wirceburgensi impositus est. Varia accepit a regibus privilegia, scilicet ab Henrico II. d. 2. Sept. an. 1023. ius venandi in silva Steigerwald a); a Conrado II. ius foresti in silva iuxta monasterium Murhard 21. Iul. an. 1027. b), ac an. 1031. d. 16. Sept. forestum circa Mellrichstadt; MEINHARDUS enim *inter incumbentes debitas curas et diuturnas sollicitudines nulli magis indulisit voluptati, quam venationi*, ut scribit Frisius. Ex eodem discimus, a dicto rege privilegium huic episcopo esse indultum de mercatibus ac teloniis instituendis, nec non de cudendis monetis d. 13. Oct. an. 1030. c) Præcipuum vero Conradi privilegium est datum VIII. idus Iunii an. 1032. ad preces MEGINHARDI episcopi de confirmata immunitate et potestate iudiciaria per ducatum Franciæ Orientalis a suis prædecessoribus S. Kiliani ecclesiæ concessa. Legitur id in sæpe citata censura Brevis notitiæ Ebra-censis d). De quo quidem silet Frisius, notat vero, quod alii silent, d. 4. Iun. an. 1033. curiam Regenbach ex Conradi imp. donatione ad ecclesiam Wirceburgensem pervenisse.

IX. Nec minore tamen industria sacris quoque rebus intendit solertissimus hic præsul; legitur enim MEGINHARDUS Wirceburgensis inter episcopos synodo provinciali in Salegunstadt seu Seligenstadt præsentis, quæ a. 1022. II. idus Aug. ad constituenda varia disciplinæ morumque capita congregata est ab Aribone Archiep. Moguntino e), cuius etiam epistola habetur inscripta *domino et confratri MEGUNHARDO Wirceburgensis ecclesiæ pontifici*, qua eum ad conventum in loco vicino Hohstetz seu Hohstatt iuxta Mogum cum reliquis suæ provinciæ episcopis invitat, *ut omnibus*, inquit, *cordis et animi viribus occurramus sanctæ matris ecclesiæ necessitatibus f)*. Ex eadem porro, et sequente simul ad Cunigundam imperatricem eiusdem Aribonis epistola confici videtur, ipsi et consilii sui cooperatoribus, Coloniensi et

a) Lunnig T. XIX. p. 750. b) Lunnig T. XVII. p. 940. c) Lunnig l. c. p. 940. d) Pag. 178.

e) Concil. Germ. T. III. p. 55. seqq. f) L. c. p. 61.

Trevirensi archiepiscopo simile quid fuisse propositum, quod nuper in famoso Emsensi eorundem præsulum machinatione instituto congressu fuit attentatum, nisi quod priores maiore in reverentia habuerint summum pontificem, uti constat ex suffraganeorum Moguntinæ provinciae, ubi et MEGINHARDUS *Wirzeburgensis* nominatur, litteris ad Benedictum VIII. papam directis pro Aribone suo metropolitano a). Num vero epistola hæc ex synodo Hohstattensi, forte tantum indicta, a cæsare tamen impedita, quove anno data sit, necdum reperi; Benedictus saltem papa iam a. 1024. obiit.

Ad annum 1022. VII. id. Nov. notatur traditio loci Rodeheim cum decimis ad monasterium S. Michaelis Bambergæ facta a MEGINHARDO episcopo Wirciburgensi, qui ecclesiam illam consecraverit b). Illum an. 1024. adfuisse conventui Moguntino pro electione et coronatione Conradi regis, mox supra ex Wippone retulimus, ubi tamen perperam Marcellinus vocatur c). Anno 1027. in conventu Francofordiensi causam dixit pro Godehardo Hildesiensi episcopo d).

X. Extrema eius pro more paucis complectitur chronicon Baluzianum. *MXXXIV. MEGINHARDUS Wirziburg. episcopus obiit XI. Kal. April. Sedit annos XV, menses II, dies XXI.* Puto, reponendos hic esse tres menses, ut regiminis tempus a die 2. Dec. a. 1018. usque ad d. 22. Mart. a. 1034. eius emortualet decurrens rite computetur. Sunt equidem, qui illius obitum ad annum priorem referant et diem 21. Sept. qui vero computus cum anno electionis conciliari haud potest.

XIX.

S. BRUNO.

Ab anno 1034. usque 1045.

XI. **G**ENUS BRUNONIS aperte prodit Hermannus Contractus scriptor cœvus in chronico ad an. 1034: *Megenhardo præsule Wirzeburgense defuncto BRUN, patruelis imperatoris (Conradi Salici), filius scilicet ex Mathilde Cuonradi ducis, episcopatum die Paschæ accepit, ut legitur in codice autographo a nobis edito e).* Pater enim

a) Loc. cit. p. 63.

b) Schannat Vind. litt. coll. I. p. 42.

c) Concil. Germ. T. III. p. 65.

d) Loc. cit. p. 99.

e) T. I. Monum. Aleman. p. 206.

Conradi regis erat Henricus Franconiæ Rhenanæ comes, qui frater erat Conradi Wormatiensis, dein Carinthiæ ducis, a quo genitus est BRUNO noster ex Mathilde Hermanni II. Sueviæ ducis filia, ut ibidem ad an. 1012, 1019. et 1024. legitur; ac nomen hausisse videtur a patruo suo Brunone, qui postea Gregorius V. papa fuit. Quum vero pascha a. 1034. d. 14. April. evenerit, integro mense aberrant, qui BRUNONEM d. 14. Mart. episcopum factum volunt, ubi adhuc superstes erat Meginhardus. Cæterum hoc uno Hermanni testimonio refutantur, quæcumque apud Frisium de BRUNONE adnotata leguntur.

XII. Trithemius a) BRUNONEM mire deprædicans, *vir, inquit, erat per omnia Deo et hominibus acceptus, iustus, doctus, et christianæ legis cultor et propagator integerrimus: qui, quum in divinis scripturis studiosus esset et multum eruditus, inter alia scripsit et comportavit super toto psalterio commentariorum opus insigne, cui præfationem et pulcras difficultum questionum declarationes præmisit.* Insertus legitur pretiosus hic commentarius bibliothecæ Patrum Lugdunensi b), ubi quoque c) habetur eiusdem BRUNONIS commentarius in diversa cantica sacra et symbola Apostolorum atque Athanasii. Illum etiam contra Simoniacos scripsisse, testis est anonymus Mellicensis d). Circumfertur alius adhuc BRUNONIS commentarius in Pentateuchum, quem vero Brunoni archiepiscopo Coloniensi, Ottonis I. fratri vulgo adscribunt.

XIII. *Episcopus factus, pergit abbas Spanheimensis, in omni sanctitate et iustitia vivere omni tempore diligentissime studuit, et omne bonum, quod verbo docuit, prius opere demonstravit.* Conradum imp. in Italica expeditione in Lombardiam secutus, obsidioni Mediolanensi interfuit, ubi die Pentecostes, quum imperator in parva ecclesia secus urbem commoraretur (ita enim legendum, non coronaretur) ad Missam, tam gravia fuerunt tonitrua et fulgura, ut aliqui mente excederent, aliqui exhalarent. BRUNO vero episcopus, qui Missam canebat, et secretarius imperatoris cum aliis tribus dixerunt, se inter Missarum solemniam vidisse S. Ambrosium imperatori indignando comminantem. Tunc imperator Italia discessit. Hæc ad annum 1039. scribit Sigebertus Gemblacensis e), quæ tamen huic anno convenire nequeunt, quo festum Pentecostes dies 3. Iunii erat, et sic Conradus mox altera 4. Iun. obiisset, nec adeo Italia excessisset. Verum ex Hermanno Contracto, Annalista Saxone, aliisque id ad an. 1037. spectat, ut patet ex diplomate Conradi eodem anno d.

a) Annal. T. I. p. 169. b) T. XVIII. p. 65. c) Pag. 330. d) De Script. eccles. c. 84.
e) Pistor. Script. T. I. p. 833.

28. Maii in pervigilio Pentecostes dato in obsidione Mediolani a). Alii vero Brunonem illum Mindensem fuisse episcopum existimant.

Iam autem anno priore 1036. d. 15. Aug. BRUNO episcopus curiam quamdam in Paderbornensi episcopatu sitam, Regium solare, vulgo Sonnerick, nominatam ex paterna hereditate possidebat, et eandem obtulit Deo et S. Kiliano cum omnibus appendicibus suis, ac de proventibus eiusdem cum singulis annis in festo S. Andreae ad vestituram ecclesie Herbipolensis 50. marcas argenti, et sex salmones in festo S. Kiliani dominis et confratribus in domo Salvatoris pro tributo solendas procuravit b). Patet id etiam ex ipsius BRUNONIS hac de re litteris c). Anno 1042. d. 3. Ian. ut notat Frisius, ab Henrico III. donationem obtinuit pro sua Wirceburgensi ecclesia, quam nimia vetustate ruinosam ac more priscorum simplicem a fundamentis novam construxit, et omne patrimonium suum, quod in Saxonia habuit, unde nationis fuit, ad structuram et ornatum eiusdem ecclesie impendit, ut refert supra citatus Trithemius. Quæ autem hic de Saxonica illius origine dicuntur, latiore sensu accipienda arbitror, quo etiam Paderborna Saxonie adnumerabatur, in quo episcopatu paternam hereditatem habuit: quin adeo necesse sit, matrem BRUNONIS ex Saxonia seu Querfurtensium familia cum Frisio, Henschenio et Kælero repetere; Mathildem enim matrem filiam fuisse Hermanni II. Sueviæ ducis, iam supra ostendimus.

XIV. Anno 1045. Henricus III. ad Petrum Hungarorum regem cum aliis principibus per Austriam in Pannoniam perrexit, quo in itinere, ut scribit Hermannus Contractus synchronus ad h. a. rex vetus quoddam solarium ascendens cum multis aliis, edificio cadente, corruit, ipsoque Deo protegente illaso, BRUN Wirceburgensis episcopus lethaliter cum aliis collapsus post unam hebdomadam VII. Kal. Iunii obiit, et ad sedem suam reportatus, ibique sepultus Adalberonem successorem habuit. Contigit casus iste, referente Bruschio, die 21. Maii in castro Bosenberg vel Besenburg ad Danubium ex adverso oppidi Ips inter Viennam et Linzium; unde mors BRUNONIS episcopi ad d. 26. vel 27. Maii referri debet, quo ultimo quoque die notatur in necrologio Onoldino d), et in chronico Baluzii MXLV. BRUN Wirziburg episcopus obiit VI. Kal. Iunii. Sedit annos XI, mensem I, dies XIV. quot nempe præcise fluxerunt a die 14. April. an. 1034. usque ad 27. Maii 1045. Alii diem 26. Maii emortualet volunt, eo quod eius anniversarium in diocesi Andreas episcopus in statutis suis synodalibus a. 1314. e) celebrari præceperit Sabbatho post festum S. Urbani, quo obiit, et tunc id a. 1045. die 26. Maii evenisset.

a) Murat. antiq. Ital. T. I. p. 609. b) Ludwig Script. Wirceb. p. 468. c) Lunig. T. XVII. p. 718, et Schaten. annal. Paderb. P. I. p. 508. d) Eccard. T. I. p. 490. e) Conc. Germ. T. IV. p. 248.

Cæterum nulla hic in Hermanno fit mentio de spectro BRUNONEM in illo itinere terrente, nec de aliis facti huius circumstantiis, quas passim enumerant Boici scriptores Aventinus, Brunnerus et Adlzreitter in suis annalibus, ex schedis Mfs. Eberspergensibus ut plurimum desumptas; illas vero ab his monachis aut BRUNONIS ingratiis confictas, aut plurimum saltem fuisse exaggeratas haud temeraria suspicio est. Omnino enim combinari nequeunt, ut recte notat Calles a), cum sanctitate BRUNONIS, quam testatam facit eius mentio in martyrologio Romano ad d. 17. Maii, ubi Baronius in notis iure carpit Aventinum, quod multa de eo fit commentitus. Illi quoque testimonium perhibent alia monumenta apud Bollandianos b) ad eandem diem producta: unde quoque de illius canonizatione Romæ a. 1227. et deinceps aliquoties fuit actum, ut suis locis dicemus. Festum saltem eius nunc d. 17. Maii quotannis in cathedrali celebratur.

XX.

S. ADALBERO.

Ab anno 1045. usque 1090.

XV. **H**uius præsulis vitam a monacho quodam Lambacensi sec. XIII. scriptam collectioni Actorum suorum inseruit Mabillonius c), ex qua et collatis simul adhuc aliis documentis præcipua eius gesta damus, variis vicissitudinibus obnoxia. Patrem habebat ADALBERO Arnoldum comitem Lambacensem in Austria superiore iuxta fluvium Truna, matrem vero Regilam ex nobili Franciæ Orientalis familia de Weinsperg, ut quidem perhibet Lazius. Arnoldus itaque filium suum primæ ætatis flore nitentem Herbipolim perduxit, eiusque ecclesiæ servitio ibi erudiendum episcopo commendavit, addito simul, quo in Franconia abundabat, prædivite patrimonio. Liberalibus ibi disciplinis imbutus et adolescentiæ annos ingressus, cum aliis fodalibus Parisios studiorum causa missus, inde optime instructus Herbipolim reversus et canonicis adnumeratus est. Non igitur iam tunc, ut vult Trithemius, Lambacensis abbas erat, quod monasterium pater eius postea primum fundavit.

a) Annal. eccles. T. V. p. 401.

b) T. IV. Maii p. 38.

c) Sec. VI. P. II. p. 661.

XVI. Aliquibus vero elapsis annis, Brunone episcopo mortuo, successor electus est ADALBERO d. 30. Iun. a. 1045, ut quidam referunt. Diuturnum eius regimen parum tranquillum erat inde ab initio. Gliscebat iam tunc Herbipolensem inter et Fuldensem ecclesias, quæ postea sæpius recruduit, controversia de iurisdictione spirituali, quam utraque sibi in Fuldensi territorio vendicabat. Re in concilio Moguntino a. 1049. ad Leonem IX. papam tunc præsentem delata, hic discussis utriusque partis rationibus veterem ecclesiæ Fuldensis immunitatem firmavit, concessa soli abbati eiusque in spiritualibus vicario iuris dicundi facultate in locis exemptis, quod sibi Herbipolensis archidiaconus arrogaverat a). Extat apud Schœttgen b) diploma Henrici III. imp. de transactione inter utramque ecclesiam, quod totam rei feriem continet, cuius tamen epocha fallit, præfert enim annum MXL. d. III. Non. Febr. quum tamen Leo IX. primum a. 1049. d. 2. Febr. Romæ papa inauguratus fuerit. Omittendus igitur est numerus denarius, ut prodeat annus ML. ad quem pertinet. Nec tamen diu quietus fuit ADALBERO, ut patet ex Alexandri II. ad eum circa an. 1069. litteris, quibus illum additis quoque minis ab ulteriore iniusta vexatione Fuldensis ecclesiæ dehortatur c), et ad satisfactionem constringit d).

Æque infestum se ecclesiæ Bambergensi exhibuit, ut constat ex bulla Leonis IX. a. 1053. e) ubi refert, quod in publica synodo Bambergæ a. 1052. d. 18. Oct. habita in sua et Henrici imp. præsentia Hartvicus episcopus *proclamationem suam fecerit, quia locus suus a clericis ADALBERONIS Wirzeburgensis episcopi temeraria presumptione invasus fuerit, quod nos, inquit papa, quia utrique episcopi præsentibus aderant, inter quos causa stabat, ibidem volentes discutere, ADALBERONI episcopo, a quo iniuria illata erat, deliberationem fecimus, ut objectionem hanc, si posset, referret, si non, iustitiæ satisfaceret. Tum ille invito cum suis omnibus, qui aderant, clericis et laicis consilio, regrediens ad ambonem de illata iniuria se cum satisfactione excusavit, et de omnibus, quæ ad bannum et episcopalem iustitiam et potestatem Babenbergensis ecclesiæ Christi pertinerent, et tunc et deinceps renuntiavit.*

XVII. Melioribus deinceps modis ecclesiæ suæ bono intentus ADALBERO ab Henrico III. imp. a. 1049. d. 14. Dec. confirmationem omnium eius privilegiorum et immunitatum impetravit f). Citat Frisius chartam a. 1058. d. 29. Ian.

a) Concil. Germ. T. III. p. 112. Schannat Hist. Fuld. prob. p. 24. b) Dipl. med. ævi T. I. p. 24.
 c) Schannat diœc. Fuld. prob. p. 252. d) Ib. p. 253. e) Ludewig Script. Bamb. p. 290. et
 Concil. Germ. T. III. p. 121. f) Wenck hist. Hass. T. I. prob. p. 281.

qua Richza seu Richenza regina Poloniae bona sua in Salza ecclesiae Wirceburgensi donavit, quod et frater eius Otto dux Sueviae an. 1047. defunctus prius iam de parte sua in Obersalza praestitit. Ambo patrem habebant Ezonem seu Erenfridum comitem Palatinum Rheni, unde eorum bona hereditaria in Franconia a). Agunt de hac Richenza eiusque patre monasterii Brauwiler prope Coloniā conditoribus Bollandiani b), ubi haec quoque supparis auctoris verba leguntur: *Constructum est aliud eiusdem gloriosissimae feminae et reginae sumtibus monasterium per ADALBERONEM Wirzburgensem episcopum in loco, ubi S. Kiliani sociorumque eius extat martyrium; utpote cuius episcopium ex eius numerosa familiarum clientela cum omnibus, quae ad oppidum Salzo pertinent, regia prorsus munificentia adauctum est.*

XVIII. Haec de monasterio S. Stephani Wirceburgi recte intelligunt Hagiographi, quamquam alias mutatio tantum, non ipsa fundatio huius caenobii ADALBERONI tribuenda sit. De hac ipsemet ita loquitur in suis litteris d. d. a. 1057, indict. X. V. Non. Martii, anno ordinationis suae XII. c): *Locum et caenobium in vicino civitatis nostrae suburbio positum, a venerabili praedecessore nostro Heinricho antistite fundatum (scilicet S. Stephani), divinae religioni et monasticae professioni cernentes aptissimum . . . fratres canonicae professionis, qui tunc in praefato monasterio erant, in ipsam civitatem transtulimus, ad Novum nempe Monasterium. In caenobio autem S. Stephani triginta fratres monachicae professionis instituimus, statuentes, ut ulterius ibi monachica conversatio et monastica professio sub abbatis regimine semper in divino permanent famulatu; quibus etiam certas possessiones assignavit, quae ibidem recensentur. Sub eius pontificatu erectum est quoque Banthense caenobium; et a. 1075. monasterium Schwarzach nimia vetustate pene collapsum, a novo constructum et magnifice dotatum consecravit ADALBERO, et monachos optime conversationis de caenobio Gorzensi in illo collocavit, ut scribit Trithemius d). Sed de singulis his infra suo loco redibit mentio.*

XIX. Etsi autem alias, ut supra diximus, Romanos pontifices suis praesumptionibus haud semel offenderit ADALBERO, eorum tamen gratiam optime promeruit sua erga eos tempore schismatis constantia, dum exceptis paucis aliis plerique fere Germaniae praesules Heinrici IV. imp. partes sequerentur. Celebratum fuerat a. 1071. iussu Alexandri II. Moguntiae concilium in causa Caroli

a) L'art de verifier T. III. p. 19. b) T. V. Maii ad d. 21. c) Mabill. annal. T. VI. prob. p. 669.

d) Annal. T. I. p. 238.

Constantiensis episcopi, qui ob simoniam ibi fuit depositus, agente etiam ADALBERONE Würceburgensi episcopo *a*). Adhuc tamen a partibus Cæsaris stetit a. 1075, in cuius exercitu erat, dum cum aliis nonnullis ab eo ad Saxones pro pace componenda missus est, ut ad annum illum narrat Lambertus. Verum de eius fallaciis certior factus, mentem mutare cœpit, ut mox patuit. Henricus enim rex, ut intentatam sibi excommunicationem anteverteret, non mense Martio, ut scribunt alii, sed d. 23. Ian. seu in Septuagesima, quod habent Lambertus et Bertholdus Constantiensis ad h. a. conciliabulum WORMATIAM convocavit a. 1076, ubi Gregorium VII. deposuit, voluitque, ut omnes præsentis episcopi huic sententiæ subscriberent. Fecerunt id omnes, excepto ADALBERONE Herbipolensi, et Hermanno Metensi, qui fortiter coram omnibus restiterant aliquamdiu, donec, ut plures volunt, et ipsi tandem cesserint, quamvis ADALBERONIS nomen haud in cunctis illius sententiæ exemplaribus notetur *b*): unde hanc eius subscriptionem Bollandiani in commentario ad illius vitam recte negant. Saltem inter illos numeratur, qui eodem anno Ulmæ conventum contra Henricum celebrarunt *c*), et cum reliquis principibus in alio conventu Forchheimensi a. 1077. Henrico exauctorato Rudolphum ducem Sueviæ regem constituerunt. Unde a Würceburgensibus Henrico addictis expulsus est *d*), et civitas propterea a Rudolpho anticæsare obsessa, ut testatur Annalista Saxo et Urspergensis ad a. 1077.: *Collecto dehinc a Saxoniam exercitu copioso Rudolphus Würceburgenses Henrico regi fidem servantes, et tam episcopum suum ADALBERONEM quam se contemnentes obsedit.*

XX. Necdum tamen a rege expulsus erat ADALBERO, aut alius pro eo episcopus constitutus, uti quidem colligi posset ex privilegio Henrici a. 1073. pro Wormatiensibus dato, ubi *Dietricus Würzburgensis* notatur *e*): at ibi per errorem pro *Verdimensi*, qui Henrico adhæsit, *Würzburgensis* irrepsit. ADALBERO certe usque ad an. 1085, quo primum alius pro eo episcopus intrusus est, sedem suam tenuit, et officii sui munia, ut potuit, obivit. Anno siquidem 1075. datis litteris *f*) abbati Salfeldensi licentiam largitur, ut in nominatis locis ad fuæ diœcesis ecclesiam in Coburg pertinentibus curam animarum administrare valeat, excepta synodo et feriis rogationum, seu processionibus publicis, quæ iuri diœcesano annexæ erant. Verum chartam hanc suspectam reddit, quod hæc non solum ex

a) Concil. Germ. T. III. p. 154.

b) Calles annal. eccl. T. V. p. 699, et conc. Germ. T. III: p. 178.

c) Lambert. ad h. a.

d) Trith. loc. cit. p. 249.

e) Ludewig. Reliq. Msc. T. II. p. 177.

f) Lunig T. XIX. p. 1134.

fuo arbitrio, *verum ex mandato domini Honorii apostolici et Sigefridi Moguntini* se fecisse affirmet, quorum epistolas legerit. Honorius iste Sigefrido cœvus alius esse haud potuit, quam Cadolaus Parmensis sub hoc nomine antipapa an. 1061. Basileæ contra Alexandrum II. electus, quem qua ratione ADALBERO legitimis pontificibus tantopere addictus ceu Apostolicum habere potuerit, plane non videmus. Anno 1078, 2. id. Maii facta est donatio ad Comburgense cœnobium ADELBERONE *Würzburgensem sedem tenente a)*. Sed et anno 1085. concilio Quedlinburgensi in paschali hebdomada celebrato Wurceburgensis episcopus per legatos interfuit, ubi rursus schismatici fuere condemnati, uti ad hunc annum scribit Bertholdus Constantiensis in chronico.

XXI. Irritatus inde Henricus aliud pseudo-concilium eodem anno Moguntiam indixit, cui vero ADALBERO noster adesse noluit, quod item alii episcopi papæ fideles recusarunt: qui adeo omnes a rege et legato antipapæ Guiberti sedibus suis moti sunt, et ADALBERONI Meginhardus substitutus, uti citati scriptores referunt *b)*. Anno quidem 1086. capta a Suevis et Saxonibus Herbipoli ADALBERO *cum magnis laudibus civium, clericorum et laicorum in sedem suam restitutus est*, ut scribit idem Bertholdus, a quo etiam ad an. 1089. illis quinque episcopis adnumeratur, *qui in Teutonicis partibus in catholica communione perstiterunt*. Verum eodem iterum anno 1086. recuperata urbe Henricus IV. Meginhardum restituit *c)*. ADALBERO autem accepta *abeundi licentia de civitate Wirzburg, quum ad pacis conditionem flecti non potuisset, in dilectum sibi Montem vini (Weinsperg) secessit*, ut scribit eius adversarius Waltramus Naumburgensis, qui etiam asserit, ADALBERONEM necum rege diris devoto communicare cogeretur, episcopatum suum sponte dimisisse, et in Weinspergensem munitionem iam antea se abdidisse *d)*. Weinsperg porro castrum erat in Wirtembergiæ et Palatinatus confiniis, et ad ADALBERONIS hereditatem spectabat, quum Regila eius mater illinc fuerit oriunda. Nec tamen diœcesin suam penitus deseruit, teste enim Trithemio *e)* adhuc anno 1088. d. 21. Dec. consecravit ecclesiam Cambergensis cœnobii cum capellis et altaribus quatuordecim. Factum id adeo est mortuo Meginhardo intruso, et ei forte iam pari vi substituto Einhardo, vel inde tamen conficitur, fese pontificatu suo nequam abdicasse, sed eius munia, quoad licuit, exercuisse, quo sensu et sequentia sunt accipienda.

a) Mencken Script. T. I. p. 391. b) Vid. Concil. Germ. T. III. p. 202. c) Annal. Saxo ad h. 2.

d) Vid. Calles annal. eccl. T. V. p. 830. e) Annal. T. I. p. 287.

XXII. *Contemta igitur pontificatus dignitate reversus est in Bavariam (cui tunc Austria superior accensebatur) ad terram patrum suorum, ac seipsum cum omni patrimonio ad cœnobium B. Mariæ transtulit, ut habet vitæ scriptor, qui deinceps enarrat, qua ratione vitam monasticam in Lambacensi cœnobio instituerit, iam anno 1056, ordinationis XII. constituto illuc Eckkeberto primo abbate, et assignata conveniente dote, prout liquet ex illius charta foundationis, quam producit biographus. Ex eo etiam discimus, cœnobii ecclesiam XVIII. Cal. Oct. a. 1088. aut sequente fuisse dedicatam a se et Altmanno Pataviensi episcopo, quem invitaverat datis ad eum litteris, quas ita orditur: ADALBERO Dei gratia Herbigopolensis ecclesie præfectus, licet nunc violentorum manu iniuste eiectus; non ergo tam humane tractatus ab Heinrico, aut sponte digressus, ut scribit Waltramus.*

Addit demum vitæ scriptor: *Secundo deinde anno B. præsul ADALBERO migravit ad Dominum, sepultus in eodem, quod dedicaverat, monasterio. Bertholdus Constantiensis in chronico ad an. 1090. hoc ei elogio parentat: ADALBERO reverende memoriæ Wirceburgensis episcopus, unus de antiquioribus episcopis, in causa S. Petri contra Guibertum et eius complices strenuissimus, post multa pericula, persecutiones, et exilia, que pro Christo libentissime passus est, in bona confessione diem clausit extremum in prædio suo, quod Lambach vocatur. Obiit autem II. Nonas seu die 6. Oct. in octava Angelorum qua die Lambaci iam sec. XIII. colebatur, ut constat ex libro miraculorum cap. 4. apud Bollandianos T. III. Oct. ubi a) vitam eius exhibent, cum prævio commentario, in quo de illo copiose ac erudite disseritur. Chronicon Baluzianum, omnesque fere catalogi ei annos XLV, menses III, dies VII. tribuunt, ab ordinatione d. 29. Jun. a. 1045. facta usque ad obitum d. 6. Oct. a. 1090.*

XXI.

MEGINHARDUS II.

INTRUSUS.

Ab anno 1085. usque 1088.

XXIII. **E**x additionibus ad Lambertum Schafnaburgensem b) ad an. 1085. MEGINHARDUS quidam doctissimus, sed non secundum scientiam, Wirceburgensi ecclesie

a) Pag. 451.

b) Pistor. Script. T. I. p. 426.